DE ATTRITIONE EX METU GEHENNÆ

EIUSQUE

CUM SACRAMENTO POENITENTIÆ

SUFFICIENTIA

Juxta mentem S. Concilii Tridentini

Contra

DISSERTATIONEM DOGMATICAM

Exim. P. CHRISTIANI LUPI

ET

QUÆSTIONEM QUODLIBETICAM

Exim. P. FRANCISCI FARVACQUES

S. Theol. Doctorum, Ord. Erem. S. Augustini

AUCTORE


MAXIMILIANO LE DENT

WINOCIBERGENSI,

Societatis JESU S. Theol. Professore

LOVANII.





Mechliniæ, Typis Gisberti Lintsii 1667.

OCCASIO SCRIPTIONIS

AD

LECTOREM.

ANni jam ſunt circiter viginti ſeptem, cum occaſione quarumdam ſententiarum rurſus in lucem emiſſarum, quas jam pridem Doctorum conſenſus (ut alia taceam) ſopierat aut extinxerat, graviſſimè exortæ ſunt hìc & in Galliis inter Theologos concertationes. Inter illas una fuit, quam hîc tractandam ſuſcepimus, de Attritione ex metu gehennæ, quæ aſſerebatur nec eſſe actus ſupernaturalis ſeu ex gratia per Chriſtum, neque ullo modo excludere poſſe voluntatem peccandi, adeoque nec ad juſtificationem ſufficere accedente Baptiſmi aut Pœnitentiæ Sacramento. Verùm quia, ut fieri aſſolet, minores curæ pelluntur aut ſopiuntur à majoribus ac gravioribus: cùm quædam recens exortæ doctrinæ capita eſſent, quibus periculum, imò & exitium jam jam videbatur imminere, ad ea præcipuè utriuſque partis ſtudium, & acrior concertatio converſa eſt: refrigeſcente interim diſputationis ardore circa alias quaſdam quæſtiones, quæ minoris momenti videbantur, ut de Attritione, de ignorantia invincibili, & ejuſdem generis alias: quæ tamen reſumptæ poſtmodum fuerunt, præſertim poſt deciſam à legitimo Judice circa præcipua dogmata controverſiam. Illas acerrimè propugnandas ſuſceperunt, ac oppoſitas omnium pœnè Catholicorum ſententias earumque Auctores calumniis ac inſigni maledicentia impetierunt jam pridem in Gallia Montaltius & Wendrockius larvati hoſtes; horum tamen auctoritate, ſat ſcio, pro ſua ſententia non utentur Adverſarii, ſi vel librum ipſum, vel judicium Epiſcoporum ac Doctorum Pariſienſium ad examen illius libri deputatorum inſpexerint.

In Belgio ante quinquennium prodiit folium chartæ impreſſum, nomine Parochorum Gandenſium, in quo nituntur oſtendere;

dere, Attritionem ex metu gehennæ conceptam, sine ullo Dei propter se dilecti motivo, non sufficere ad veniam peccatorum cum Sacramento impetrandam; quod scriptum suo calculo approbavit Facultas Theologica Lovaniensis. Verùm cum in illo assereretur potius, quam firmo aliquo aut verosimili argumento firmaretur, nemini ex communis sententiæ propugnatoribus curæ fuit, isti folio quidquam reponere..

Tandem circa mensem Julium anni proximè elapsi ferè simul in lucem prodierunt duo justæ pro materia molis libelli, quorum alteri titulus est: *Dissertatio dogmatica de germano & avito sensu Sanctorum Patrum, Universæ semper Ecclesiæ, ac Sacrosanctæ præsertim Tridentinæ Synodi, circa Christianam Contritionem & Attritionem.* Alteri verò *Quæstio Quodlibetica de Attritione.* Illa Auctore Eximio Patre Christiano Lupo; hæc Auctore Exim. P. Francisco Farvacques; utroque Sacræ Theologiæ Doctore Ordinis Eremitarum S. Augustini. Ad præviam horum opusculorum famam, avidè multi illa expectabant, tum ut ex illis discerent, quænam tandem esset communi sententiæ adversantium mens, quam usque ad illud tempus, saltem quoad multa, non habebant satis perspectam, utpote ab Adversariis non plenè explicatam, &, uti in sententiis malè fundatis fieri solet, diversis diverso modo & non satis constanti ac unanimi sua sensa exprimentibus: tum etiam ut intelligerent, quibus tandem & quam solidis nixi fundamentis, sententiam apud omnes passim receptissimam tentarenr convellere. Comperi autem tum duos hos Auctores, tum alios passim omnes, qui Attritionem ex metu gehennæ conceptam, tamquam in Sacramento insufficientem ad veniam, rejiciunt, licet alias quasdam rationes diversi diversas afferant, omnes tamen in hæc duo præcipua illius sententiæ fundamenta unanimiter consentire. Alterum petunt ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. ubi ait: *Illumque tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt.* Alterum verò & primarium ex eo, quòd metus gehennæ, & Attritio inde tamquam unico & adæquato motivo concepta,

non

non possit excludere(nimirum positivè) voluntatem peccandi: Imò volunt ex ipsis aliqui dolorem peccatorum ex metu gehennæ, nisi simul adsit Dei super omnia dilectio propter se, necessariò ac inseparabiliter sibi conjunctum habere actum voluntatis peccaminosum; quin ipsum quoque talem dolorem peccaminosum esse.

Cum autem hoc anno scholastico juxta distributionem materiarum Theologicarum in scholis nostris observari solitam, tradenda mihi obvenisset materia de Sacramento Pœnitentiæ, existimavi operæpretium fore, fusiorem solito disputationem instituere de Attritione ex metu gehennæ, ut sic plenè instructi essent Auditores in tota hac quæstione, quæ hoc tempore apud quosdam hìc maximè controvertitur, & à duobus S. Theolog: Doctoribus eodem tempore, junctis quasi viribus, impetebatur. Quare fundamenta illorum singula ac rationes, quibus aut suam stabilire conantur, aut nostram oppugnant sententiam, proposui ac dissolvi, communemque doctrinam stabilivi.

Ea quæ discipulis tradideram, cum ad aliorum quoque manus pervenissent, & hi lecta approbassent; visum fuit iis, ad quos id pro muneris ratione spectat, illa, quæ dictaveram, prælo subjicienda, quò ad plures pervenirent, ut si qui Doctorum præfatorum rationibus, vel (ut apud multos usu venit) auctoritate potius moti, sententiam communem vel ut falsam, vel ut dubiam habere cæperant, hoc tractatu perlecto clarè intelligant, quam parum roboris insit argumentis, quæ contra illam intorserunt, nihilque omnino ab illis effectum esse contra eam, quam oppugnarunt, ex metu gehennæ conceptam Attritionem, hujusque cum Sacramentis Baptismi ac Pœnitentiæ sufficientiam.

Videbor fortasse aliquibus de illa quæstione, an metus gehennæ excludere possit voluntatem peccandi, egisse pluribus, quàm in re per se notâ, omnibusque adeò manifesta opus sit. Necessarium tamen id duxi, quia opposita sententia primarium est partis adversæ fundamentum, quod proinde radicitus convulsum oportuit, & cum illam vix stabiliant, nisi aliquot D. Au-

gustini testimoniis, plurium Patrum adduxi testimonia, quò manifestum omnibus fieret, quis hac in parte sit communis ac unanimis eorum consensus; referunt etiam, è præcipuis nonneminem asseruisse, nostram de Attritione sententiam Concilii Tridentini placitis conformem esse, si modò ostendi posset, metum gehennæ excludere omnem peccandi voluntatem.

Id unicum in hoc tractatu specto, ut suus sit veritati locus, ac omnibus constet, quæ peccatori ad reconciliationem cum Deo sufficiens sit dispositio ac præparatio: sufficiens, inquam, neque enim quæstionem hîc instituimus, quænam præparatio majoris sit perfectionis ac meriti apud Deum; certissimum enim apud omnes est, actum charitatis Dei propter se suamque bonitatem, reliquos omnes longè antecellere. Hinc, qui ad perfectionem nituntur, comparando charitatis fervori summo studio incumbunt, neque contenti peccata ex amore Dei detestati, eumdem quoque scopum reliquis actionibus præfigunt. Charitatis studium passim inculcant Scripturæ, SS. Patres, & quotquot de vita spirituali ac perfectione tractarunt. Eamdem, & quidem quàm fieri potest perfectissimam, in suis passim requirunt Sancti Religionum Fundatores. De illa hanc habet Societas S. P. N. IGNATII constitutionem part.3.Constit. c. 1. §. 26. quam refert, eâque tamquam gemmâ opusculum suum concludit & consignat Exim. P. Farvacques: *Omnes RECTAM habere INTENTIONEM studeant, non solùm circa vitæ suæ statum, verùm etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincerè spectantes, ut serviant & placeant divinæ bonitati PROPTER SEIPSAM & propter charitatem & eximia beneficia, quibus prævenit nos, potius, quàm ob TIMOREM POENARUM, vel SPEM PRÆMIORUM (quamvis hinc etiam juvari debeant) & crebro admoneantur ut in omnibus quærant Deum, exuentes se, quantùm fieri potest, amore omnium creaturarum; ut affectum universum in ipsarum creatorem conferant*: Ubi rectè advertit P. Farvacques in actionibus omnibus includi haud dubiè confessionem peccatorum. Hinc tamen nemo inferet id esse absolutæ obligationis,

seu

seu de necessitate Sacramenti, nisi qui crediderit, nihilo plus à Religiosæ vitæ sectatoribus eorum Regulas ac Constitutiones requirere, quàm quæ omnibus fidelibus sunt absolutè necessaria. Optandum profectò esset, ut, quam à nobis requirit Fundator noster charitatis perfectionem, ea in fidelibus omnibus reperiretur, ad quam proinde pii ac prudentes animarum directores tum in concionibus, tum in confessionibus, tum in aliis spiritualibus instructionibus ac Exercitiis provehere alios conantur, & cum fructu conati sunt hactenus. Verùm, ut in omnibus planè is sit charitatis fervor, optandum potius est, quàm sperandum: neque, licet id impetrari facilè ab omnibus posset, idcirco ea, quæ consilii & perfectionis sunt, à veritatis amante confundi deberent cum necessariis. Videamus igitur, qui noster est scopus, non quid perfectius sit, sed quid requiratur ac sufficiat ad gratiam in Sacramento impetrandam. Eo utar ordine ac proponendi ac probandi ratione, quæ mihi visa sunt, posse maximè ad claritatem conducere, ut cum quæstio omnes concernat, omnes quoque etiam vix in Theologicis versati, veritatem conspiciant: quod an assecutus sim, Lector benevolus judicet.

INDEX
CAPITUM ET PARAGRAPHORUM.

Par.

FACUL-

FACULTAS

R. P. PROVINCIALIS

EGo infrascriptus Societatis JESU Præpositus Provincialis in Provincia Flandro-Belgica, potestate ad hoc mihi factâ ab Admodum R. P. N JOANNE PAULO OLIVA Præposito Generali ejusdem Societatis, concedo *Gisberto Lintsio* Typographo facultatem typis mandandi Tractatum *de Attritione ex metu gehennæ, ejusque cum Sacramento Pœnitentiæ sufficientia &c.* à R. P. MAXIMILIANO LE DENT Societatis nostræ Theologo scriptum, & à deputatis ejusdem Societatis Theologis examinatum & approbatum. In quorum fidem has manu mea subscriptas & officii mei sigillo munitas dedi: *Antverpiæ* 15. *Februarii* 1667.

ÆGIDIUS VANDER BEKE.

CENSURA.

CUm Tractatus *de Attritione ex metu gehennæ, ejusque cum Sacramento pœnitentiæ sufficientiâ*, à R. P. MAXIMILIANO LE DENT è Societate JESU S. Theologiæ in Universitate Lovaniensi Professore compositus, doctrinam S. Concilii Tridentini firmis rationibus tueatur, & quæ in oppositum adferuntur, solidè diluat; typis meritò mandari posse censeo. *Bruxellis* 8. *Februarii* 1667.

MATTH. MIDDEGAELS *Decanus insignis Collegiatæ DD. Michaëlis & Gudilæ, Oppidi Bruxellensis, Lib. Censor.*

DE ATTRITIONE
EX METU GEHENNÆ
EJUSQUE
cum Sacramento pœnitentiæ ſufficientia
CAPUT PRIMUM.
Proponitur doctrina Tridentini oppoſita doctrinæ Lutheri.

QUia non parum utilitatis ad rectam Conciliorum intelligentiam confert, ſcire quinam illi ſint, & qui eorum errores, quos Concilia impetunt, & proſcribunt: operæ pretium erit ante omnia uno quaſi intuitu ſpectandam exhibere doctrinam Lutheri, eique oppoſitam Tridentini; ut ex ipſa verborum inter ſe collatione manifeſtum fiat, id à Concilio approbari, quod reprobarat Lutherus; ut dum inde aliquando petemus argumenta, neceſſe non ſit Lutheri verba ſæpius repetere.

2. Lutherus ſermone 2. de pœnitentia ita habet: *Contritio (ſic enim cœpit vocari pœnitentia interior) duplici via paratur. Primo per diſcuſſionem, collectionem, deteſtationem peccatorum, quâ quis, ut dicunt, recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, & alia quæ poſſunt triſtitiam & dolorem excitare ſpe ſatisfaciendi per bona opera. Hæc autem contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem, quia ſolum timore præcepti & dolore damni id facit. Et tales omnes indignè abſolvuntur & communicantur. Et ſi liberè deberent (remoto præcepto & minis pœnarum) confiteri, certe dicerent ſibi non diſplicere eam vitam præteritam, quam ſic coguntur diſplicere confiteri, imò quo magis timore pœnæ & dolore damni ſic conteruntur, eo magis peccant, & afficiuntur ſuis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odiſſe. Et hæc eſt illa contritio, quam ipſi vocant extra charitatem non meritoriam, alii vocant attritionem proximè diſponentem ad contritionem, ſic enim ipſi opinantur, quam opinionem errorem ego judico.*

3. *Secundo paratur per intuitum & contemplationem ſpecioſiſſimæ juſtitiæ, quâ quis in pulchritudine & ſpecie juſtitiæ meditatus in eam ardeſcit & rapitur, incipitque cum Salomone fieri amator ſapientiæ, cujus pulchritudinem viderat. Hæc facit verè pœnitentem, quia amore juſtitiæ id facit, & hi ſunt digni abſolutione.* In ſequentibus dicit

quod virtutis species non sit intuenda *abstractivè* sed *concretivè*, ut nempe *intueatis homines qui tali virtute lucent*. Undè datur intelligi, quod Lutherus solum requisierit amorem justitiæ creatæ.

4. E contra Tridentinum seß. 14. cap. 4. *illam verò contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit..... Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores quasi tradiderint sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit aut sensit. Sed & falsò docent contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam.*

5. Deinde in Canone 5. qui respondet capiti citato, ita loquitur: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amißionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum & non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

6. Quæro an ullus negare possit Concilium hic primum illum contritionis modum tueri ac retinere, quem Lutherus rejiciebat, iisdem fere verbis descriptum? Profectò si umquam ex Conciliorum verbis colligere licuit quos hereticos, quosque horum errores damnarent, hic manifestissimè patet adstrui veritatem Catholicam eo sensu, quo impugnarat Lutherus.

7 Dixerat autem Lutherus hanc contritionem facere hypocritam & magis peccatorem, id iisdem verbis Concilium rejicit, addens esse bonum & utilem motum ac impulsum Spiritus Sancti, adeoque supernaturalem actum.

Asserebat Lutherus cum solo dolore ex metu peccatorem indignum seu indispositum esse ad absolutionem; Tridentinum è contra asserit ad gratiam Dei in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere, præparare ad gratiam.

Denique illum dolorem vocaverat coactum & non voluntarium; quod ibidem reprobat Tridentinum.

CAP.

CAPUT II.

Quid significetur per vocem attritio.

§ QUia quibusdam libuit novam, & à communi, ac ab ipsius Concilii Tridentini sensu abhorrentem ejus vocis significationem comminisci; antequam ad alia progrediamur, necesse est ostendere, quid hac voce *attritio* seu *contritio imperfecta* importetur.

8. De hac ita loquitur Exim. P. Lupus in sua dissertatione dogmatica nuper excusa pag. 83. *Attritio seu contritio imperfecta, ut vera sit, omnino esse debet germana, & quidem affectu saltem super omnia Dei dilectio* & pag. 33. *Dei super omnia quoad affectum dilectio inesse debet, ac semper inest etiam imperfectæ ex gehennarum servili metu conceptæ attritioni.* & pag. 12. *Proinde per timorem solum citra charitatem de peccatis concepta contritio, est contritionis fucus.* Quare juxta hunc auctorem, ut sit veri nominis attritio, debet esse dolor de peccatis conceptus ex germana Dei super omnia dilectione tamquam motivo, sive interim hoc sit motivum adæquatum, sive tantum inadæquatum, simul nempe movente metu gehennæ.

9. Idem per attritionem intelligit Jansenius. Tom. 3. lib. 5. cap. 34. Similiter Lutherus non agnoscit pro vera contritione seu attritione actum, qui pro motivo habet solum metum gehennæ, cujus hæc verba refert Roffensis loco statim citando: *Primum hoc nemo negabit, contritionem quantumlibet magnam, nisi fiat amore justitiæ, & (ut ipsi dicunt) in charitate, non esse vera sed simulata.* Quod quid est aliud, quam esse fucum contritionis?

Hæc, ut dixi, attritionis notio aliena est à communi reliquorum intellectu, qui per attritionem seu contritionem imperfectam intelligunt dolorem peccatorum conceptum ex metu gehennæ, spe præmii cælestis &c. sine ullo Dei propter se dilecti amore.

10. Hoc sensu ante Tridentinum usurpatam à Catholicis attritionem testatur Joannes Fisscherus Episcopus Roffensis, qui ad articulum 6. pag. 404. ad verba Lutheri relata num. 9. ita respondet: *At hoc silere non possum, quod cum non ignores istos, adversum quos conflictaris* (id est Catholicos) *contritionem asserere motum esse quemdam animi formatum charitate, præter quem & alium cordis motum statuunt charitatis expertem, quem vocant ATTRITIONEM.* In quem etiam sensum præmiserat pag. 400. *Cum contritio potest duobus parari modis, hoc est, vel per timoris, vel per amoris viam, tu timore posthabito solo vis amore contritionem à peccatoribus quæri.*

Gabriel Biel in 4. dist. 16. q. 1. art 3. dub. 1. quærens utrum attritio fieri possit contritio, quæstioni respondet: cum displicentia de peccato sit actus successivus, possunt partes illæ continuari ex diversis causis finalibus v.g. *potest quis nolle peccasse propter pœnam inferni tantum & post idem velle continuare prop-*

re propter amorem Dei: & istius velle pars prior est attritio, posterior contritio. Quod postea sæpe repetit dicens *attritionem & contritionem esse actus habentes diversa objecta, quia diversos fines, ideo differre specie* &c. Ubi etiam explicat quid sit juxta Petrum de Palude attritionem posse fieri contritionem sicut ex mane fit meridies *id est*, inquit, *unus actus post alium*.

Eodem modo attrititionem intellexisse Alexandrum & S. Bonaventuram, quod nempe attritio & contritio sint à diversis principiis, attritio à timore servili, contritio à timore initiali, testatur loco citato Gabriel. Eodem modo attritionem definit Dionysius Cistertiensis in 4. dist. 23. q. 1. in corollario.

Nec aliter attritionem intellexerunt Joannes à Daventria, Tilmannus Segebergensis, Paulus Cortesius aliique Tridentino anteriores. Item Dominicus Sotus, qui impressit sub initia Tridentini, & eodem fere tempore Ruardus Tapperus, quem tamen inter Doctores hujus Universitatis Tridentino posteriores infra recensebimus.

Neque dissimulavit Lutherus hoc sensu à Catholicis usurpari attritionem, ut patet ex ejus verbis supra num. 2. & alibi.

11. Eodem sensu attritionem usurpat Tridentinum supra num. 4. ut patet tum ex oppositione cum Luthero, tum ex iis quæ dicentur infra, ubi refutabimus modum quo aliqui hujus loci vim eludere conantur num. 145.

12. Post Tridentinum constantissima fuit apud Theologos acceptio vocis attritio in sensu jam dicto. Tapperus ad articulum 4. hujus Universitatis pag. 110 *Secundum genus imperfectæ displicentiæ est, quod oritur ex timore pœnarum spiritualium vel æternarum, quæ lumine fidei cognoscuntur, & hanc Doctores scholastici proprie attritionem vocant.*

Mercerus supplem. q. 1. art. 3. *Notandum attritionem recte definiri esse animi motum, quo efficaciter detestamur peccatum ex motivo supernaturali, quod non sit ipse Deus, quatenus est summum bonum, à quo peccatum nos avertit.* Illud autem motivum statim ex Tridentino assignat metum gehennæ & pœnarum, & fœditatem peccati & ad has duas species revocat dolorem ex amore vitæ æternæ &c.

Wiggers eodem art. pag. 350. *Attritio vero est quidem peccati detestatio cum proposito de cætero non peccandi, sed non procedens ex illa dilectione Dei super omnia, neque ex odio peccati tamquam summi mali eo quod Deo injuriosum sit, eumque offendat; sed ex aliquo alio motivo.* Quale postea assignat metum gehennæ, bonorum spiritualium amissionem &c.

Cunerus Petri Tract. de charitate pag. 270. *Verum sive quis pleno corde conteratur sive imperfecta hac pœnitudine ex turpitudine peccati vel gehennæ & metu pœnarum atteratur* &c. Præmiserat autem imperfectam pœnitentiam vocari solere attritionem.

Simi-

Similiter Franciſcus Sonnius Demonſtr. de 7. Sacramentis Tractatu 4. cap. 6. dolorem de peccatis *ex ſolo metu pœnæ evadendæ* vocat attritionem.

Denique, ne in re manifeſta longior ſim, Eſtius in 4. diſtinct. 16. §. 9. licet nolit dolorem ex metu gehennæ ſufficere in Sacramento, cum tamen ſtatuit eſſe attritionem; cumque alteram enumeraſſet præterea attritionis ſpeciem, quæ eſſet ex amore Dei remiſſo & imperfecto, poſtea ſeſe corrigens addit: *Cæterum poſtremi generis attritio vera contritio eſt, ſufficiens ſine Sacramento, quando hujus ſuſceptionem excludit neceſſitas.*

Quos hujus Univerſitatis Doctores ſecuti ſunt ii, quorum opera impreſſus eſt Catechiſmus ad uſum ſtudioſorum Academiæ Lovanienſis, in quo cap. 4. de ſacram. tit. de pœnit. petitione 3. dicitur. *Contritio generaliter eſt duplex, perfecta & imperfecta. Perfecta nomen generale contritionis retinet, Imperfecta attritio ſolet appellari.* Et petit. ſequenti: *Attritio autem eſt dolor ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, aut ex motivo alio inferiori, quam Dei ſuper omnia dilecti Spiritu S. inſpirante conceptus.* Eamdem attritionis definitionem tradunt Vega lib. 13. cap. 34. Lembartus, Gammachæus, Marandè, Lorichius, Peſantius, Puteanus aliique innumeri, quos longum eſſet recenſere.

Omittere non poſſum Sylvium, qui cum in prioribus editionibus circa hanc materiam fuiſſet ambiguè locutus, in quarta demum editione mentem ſuam explicans ſupplem. q. 1. art. 1. concluſ. 6. ait *ad contritionem, quæ interdum abſolutè & per antonomaſiam vocatur contritio, alias autem contritio perfecta, requiritur amor Dei ſuper omnia ſimpliciter: in hoc enim diſtinguere ſolent contritionem ab attritione.* Et pag. 11. aſſerit principium ſeu motivum attritionis eſſe metum gehennæ, aut aliquod aliud motivum ſupernaturale quidem, ſed inferius Deo: contritionis autem perfectæ principium eſſe aut Deum ſecundum ſe, ſeu ut eſt ſummè bonus, aut peccatum in quantum eſt offenſa Dei propter ſe ſuamque bonitatem diligendi &c.

13. Porrò ut vitetur omnis æquivocatio bene hic notandum, quod etiam notat Sylvius ibidem, attritionis nomine non venire ſolum timorem, prout aliqui ſibi videntur perſuadere; certum enim eſt, etiam eum qui actu peccat, ſi occurrat cogitatio de pœna inferni, quam ſuo peccato incurrit, aliquo timore concitari, in eo tamen nec eſt nec eſſe poteſt attritio, aut ulla veri nominis pœnitentia, neque hoc vel in dubium ab ullo vocari poteſt. Ad attritionem igitur requiritur ut peccator ex metu gehennæ vel alio ſimili motivo & peccata commiſſa deteſtetur ac de iis doleat, & proponat numquam deinceps mortaliter peccare, & inſuper ut adſit ſpes veniæ à Deo obtinendæ. Contingit enim (ut ſcribit Roffenſis) in hac peccatoris pœnitentia, ut dum fides hinc æternos cruciatus peccatoribus à Deo præparatos repræſentat, homo terrore concutiatur, conſiderans in quæ mala ſuo ſe vitio præ-

cipiarit: inde vero dum eadem fides proponit Dei misericordiam ultro peccatores ad gratiam invitantis, fit ut peccator spem veniæ concipiat, ad quam impetrandam peccata, quibus illius pœnæ reus factus est, absolutè & firmiter detestatur & de iis ex animo dolet, omnino optando ea non cõmisisse, futura verò peccata, quibus rursus iisdem pœnis fieret obnoxius omnino statuit non committere, sed inposterũ omnibus Dei mandatis fideliter obtemperare.

Et hæc est attritio de qua hic disputatio instituitur, in qua reperiuntur jam dicta, non interveniente tamen perfectæ charitatis seu Dei propter se dilecti motivo.

14. Dixi perfectæ charitatis seu Dei propter se dilecti motivo. Censent enim non pauci in attritione prout eam proximè descripsimus, amorem Dei & quidem super omnia involui. Ita inter cæteros Sylvius supplem. q. 1. art. 1. conclus. 5. ubi cum statuisset, ad attritionem non requiri amorem Dei simpliciter & absolutè super omnia, id est, ut postea explicat, amorem amicitiæ, vult tamen requiri virtualiter aliqualem amorem Dei super omnia secundum quid. Ita loquitur in probatione: *Ad imperfectam contritionem sufficit, quod ad illum bene afficiatur, & ab illo veniam ac vitam æternam speret, habeatque voluntatem resolutam deinceps non peccandi mortaliter; hic autem amor non est amor amicitiæ, sed concupiscentiæ, pertinetque ad spem potiùs quam ad charitatem..... vera ac sincera ad Deum conversio non potest intelligi sine voluntate placendi Deo per mandatorum ejus observationem, hæc autem voluntas non est absque aliqua dilectione Dei, quæ sit aliquo modo super omnia......sic ad Deum affici, ut pœnitens ab eo veniam speret, habeatque voluntatem non amplius ipsum offendendi includit saltem virtualiter illum Dei amorem quo ipse pluris æstimatur, quam quidquid aliud inferius Deo, quandoquidem anteponatur omnibus, quæ possunt hominem ab illius amicitia excludere, hoc ipso nimirum quod cum spe veniæ adest voluntas numquam illum offendendi mortaliter.... iste amor non est Dei secundum quod in se summe bonus est & perfectus, quemadmodum nec ejus motivum est Dei bonitas & perfectio, sed aliquod motivum inferius, utpote spes salutis, metus gehennæ & pœnarum, aut consideratio turpitudinis peccati.* Hactenus Sylvius; quibus similia habet conclus. 6. ad 1. argum. Eodem fere modo amorem Dei aliquo modo super omnia agnoscit & explicat Andreas Vega libro 6. de Justificatione cap. 30. ut videbimus infra num. 198. aliique.

15. Quæres fortè quid movere potuerit P. Lupum, ut rejecta communi vocis attritio significatione, aliam substituerit. In promptu est causa, quia illa retenta fateri etiam debuisset, dolorem de peccatis ex solo motivo metus sufficere in Sacramento pœnitentiæ ad justificationem, cum cap. 3. indubitanter asserat & meritò, Tridentinum agere de dispositione proxima & sufficienti, quando sess. 14. cap. 4. ait. attritionem *quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere.*

CAP-

CAPUT III.

An timor gehennæ solum possit retrahere à peccatis externis.

16 Affirmat Lutherus: in disputatione Lipsica respondens Eckio ait: *Quod autem Augustinus dicit: timor servilis est cum per timorem gehennæ continet se à peccato: continet inquam se à peccato externo tantum.* Et in litteris ad Spalatinum de disput. Lipsica *et si foris cohibet manum, intus tamen* &c. Denique adversus art. 6. Leonis X. *Sentio perniciosum esse genus docendi, quo intuitu pœnarum, præmiorum, peccatorum, docentur pœnitere; his enim doctrinis coercentur quidem ab opere* &c.

Consonat Jansenius Tom. 3. lib. 5. cap. 35. ubi inter fructus timoris gehennæ enumerat, *quod quamvis à peccato animum non contineat manum tamen cæteraque coercet membra, ne in facta prosiliant.*

17. Conformiter P. Lupus pag. 69. ait: *gehennarum metum solam manum aliaque membra compescere.* Et pag. 61 asserit timorem servilem ab Augustino distingui *penes fœdum animum, quo quis à conspicuis peccatis ob annexi illis mali pœnalis metum abstinet.* Similia habet pag. 77. & alibi.

Hæc opinio paradoxa est: porrò crediderim eam inde ortam, quod quædam pœnæ sint, quarum metus retrahere tantummodo potest ab externis actionibus: quod quam malè extendatur ad pœnam gehennæ evidens fiet, ubi ostenderimus, quæ pœnæ & cur à solis exterioribus cohibere possint.

18. Conclusio 1. Certum est dari pœnas, quarum metus quantumcumq; absolutus & efficax sit, non habeat vim retrahendi, nisi à solo opere externo, & ab illo actu interno, qui opus externum efficaciter inferret. Tales sunt pœnæ à judice humano passim statutæ in legum transgressores.

Probatur quia cum pœna v. g. patibuli furibus lege statuta solummodo respiciat eos, qui aliena bona rapiunt, non autem eos, qui interius vel de furto cogitato delectantur, vel habent desiderium conditionatè efficax furandi, si non esset periculum suspendii: fit ut metus furcæ licet absolutus & efficax non possit retrahere ab his actibus internis.

Ratio à priori est, quia sicut efficax intentio finis solum inferre potest electionem mediorum, per quæ finis obtineatur, non autem aliarum actionum ad finem non necessariarum; ita quoque timor seu fuga pœnæ efficax solum potest inferre fugam eorum, per quæ illa pœna incurritur, non autem aliorum, quæ quantumvis quis ponat, pœnam tamen illam non incurret. Sic timor gehennæ ut sic non potest cohibere à peccato quopiam veniali, cum sciatur per hoc non incurrenda gehenna.

19. Imò licet timor seu fuga pœnæ capitis homicidio præfixæ, sit planè efficax, fieri tamen potest, ut in certis circumstantiis non possit cohibere à

per-

perpetratione homicidii. Sit aliquis, qui inimicum capitalem in illis circumstantiis loci, temporis &c. deprehendat, in quibus, si eum occidat, certus sit numquam posse homicidium judici vel ex suspicione innotescere; eo casu timor illius pœnæ non poterit illum cohibere à morte hic & nunc inimico inferenda. Judex enim pœnam infligere non potest, nisi crimen noverit, quod in casu supponitur certò ignoraturus, adeoque omissio homicidii in casu non est medium conducens ad pœnam capitis evitandam, ac proinde illius pœnæ timor non magis deterret ab hoc homicidio, quam ab alia actione quacumque, quæ nulli pœnæ obnoxia est.

20. Conclus. 2. si per impossibile Deus non esset conscius secretorum cordis, rectè assereretur, quod metus gehennæ à Deo infligendæ, solummodo posset cohibere à peccatis externis.

Probatur, quia cum Deus punire nequeat scelera nisi sibi nota, actus autem interni supponantur ipsi esse ignoti, per hos in illa hypothesi impossibili, non incurretur pœna gehennæ. Ergò timor gehennæ licet efficax vim non habebit impediendi mala, quæ interius consummantur. Idem haberet locum in eo, qui per errorem sibi firmissimè persuaderet, aut sola peccata externa à Deo puniri, aut hæc sola posse illi innotescere.

21. Conclus. 3. supposito quod homines ex lumine naturæ vel fidei probè sciant Deo æquè patere cor, quam ea quæ foris geruntur; sine ullo fundamento, imò contra omnem rectam rationem dixeris, metum gehennæ (quæ per utrumvis actum cognoscitur incurrenda) solummodo posse illos retrahere à peccatis externis & conspicuis. Est contra supra citatos.

Prob. quod timor pœnæ à judice humano infligendæ tantummodo possit timentem cohibere ab opere flagitioso, non inde præcisè oritur, quod illi sint actus externi, sed quod per hos solos incurrenda esset pœna, quæ absolutè & efficaciter timetur: atqui pœna gehennæ æquè imò præcipuè incurritur per actus peccaminosos internos ac per externos & ut volunt multi per solos internos: ergo æquè imo & principaliter potest gehenna cohibere animum ne interius delinquat. Major propositio probatur, quia juxta dicta num. 19. pœna ab homine infligenda non potest deterrere ab omni opere externo prohibito, sed ab illo tantum, per quod natam est fieri, ut illa pœna incurratur, non autem ab alio, quod certò scitur mansurum judici ignotum.

22 Quod ut pateat adhuc evidentius: ponamus Deum stata lege judici humano manifestare peccatum aliquod cordis occultissimum v.g. blasphemiam internam, simulque judici præcipere, ut quoscumque hujus criminis reos Deo manifestante didicerit, exquisitissimis ignis aliarumve pœnarum tormentis morte mulctet. Nemo sanus negaverit, quin mortis tam atrocis metus cohibere possit, & plurimos de factò cohibiturus sit ab illo cordis affectu.

affectu. Sic jam multos ab opere turpi retrahit metus infamiæ apud alios incurrendę, quos proculdubio eodem modo cohibere posset ab actu quopiam interno, si hic sciretur manifestandus, & sic eadem incurrenda infamia.

23. Ex quibus evidentissimum fit, perinde omnino esse, sit ne actus externus internusve, in ordine ad hoc ut metus mali incurrendi ab illo hominem possit retrahere, sed hoc solummodo spectandum, per quem actum incurrendum sit illud malum. Ita ut timor à solo externo cohibere valeat; si hic solus reos pœnæ constituat; à solo vero interno, si per hunc tantum incurratur malum; denique æqualiter ab utroque, si utrovis posito pœna non possit evitari.

24. Sanè non intelligo, quid causæ fingi possit, cur metus gehennæ, quæ scitur quovis peccato incurri, vim habeat cohibendi membra & manus, non autem ipsum animum ac voluntatem. Sit aliquis furto jam dudum assuetus, qui incipiat timore gehennæ concuti, qua veritatis specie dicetur, quod timor ille possit impedire, ne alteri rem suam eripiat, in qua actione totus fructus & utilitas furti sita est, non possit autem impedire, ne idem ille eliciat hunc actum omnis fructus & utilitatis expertem: vellem furari si non esset infernus, per quem nihilominus ejus pœnæ reus constituitur. Idem ostendi potest in plurimis aliis peccatis. Nonne tamqnam hominem rationis expertem rejiceremus, qui omni homicidio aut furto æqualiter propositâ mortis pœna, assereret, posse quidem hujus pœnæ metum cohibere manum alicujus, ne occidat Petrum, aut ne hujus bona surripiat, non autem ne Paulum vita aut fortunis spoliet? non magis tamen inconsequentiæ argui posset, quam qui, omni peccato propositâ gehennæ pœnâ, asserit hujus metum cohibere posse manum ac membra ab opere flagitioso, non autem voluntatem à pravis desideriis. Eodem profectò jure asseruerit quispiam, quod amor Dei à solo opere malo externo hominem retrahere possit, prout ostendemus cap. 5.

25. Quæro denique à Patre Lupo quid causæ sit, cur cum velit metum gehennæ solum manum ac membra cohibere, fateatur tamen etiam cohibere voluntatem ab actu, quo efficaciter statueret opus externum exequi? Hujus sanè non aliam poterit rationem afferre, quam quod stante tali actu, & oblata occasione exequendi, poneretur opus externum, adeoque & incurreretur malum, quod supponimus efficaciter timeri. Hæc autem ratio militat pro quovis peccato interno respectu gehennæ, ergo &c.

CAPUT IV.

An attritio ex metu gehennæ habeat necessariò conjunctum aliquem voluntatis actum peccaminosum.

DEmonstratum est superiori capite timorem gehennæ æqualem vim habere revocandi timentem ab actu sive interno sive externo, adeo ut vel à neutro possit cohibere, vel possit ab utroque. Hic quærimus an saltem sit aliquis actus voluntatis interior, qui peccatum sit, & semper reperiri debeat in eo, qui de peccatis atteritur ex metu gehennæ tamquam motito adæquato.

26. Circa hanc quæstionem P. Lupus docet sequentia:

Primò quod timor gehennæ servilis, sic habeat annexam servilitatem, ut hęc ab illo *separari non possit, nisi per veram Dei affectu saltem super omnia charitatem.* Ita docet pag. 69. 71. 83. & alibi. Cum ergo attritio, de qua agimus, pro motivo adæquato & ultimato habeat metum gehennæ, illa juxta hunc auctorem necessariò habet sibi annexam servilitatem.

27. Secundò: quod servilitas illa *sit fœdus animus quo quis à conspicuis peccatis abstinet, malens tamē & optans non fore justitiam quæ peccata ista vetaret, aut certè puniret: hunc animum meritò appellamus servilitatem: est enim servilis mentis vilitas qua solent servi non ex animo & bona voluntate, sed subdolè servire suis dominis & coacti,.* pag. 61. item quod sit *intima & secreta mentis præparatio, qua homo servili gehennæ metu frænatus mallet esse licitum, quod dolet esse vetitum ...... qua optet non esse gehennas, quibus à cupiditatum suarum sequela & adimpletione retardetur* pag. 71. *Qua velit esse nullas virtutum leges, nullas peccati pœnas, nullam ipsarum intentatricem justitiam, ideoque hujus, id est, ipsius Dei est occultus inimicus & osor.* pag. 62. *Divinæ legis ac justitiæ, quam apud hominū oculos observat in cordis sui secreto est osor & inimicus* pag. 61.

28. Tertiò: quod ista latens cupiditas sit *peccatum mortale* pag. 71. & 72. Quod gehennæ metus dumtaxat frænet malè agendi cupiditatem, *quod autem frenata & laxata cupiditas sint ferè ejusdem fœditatis & noxæ:* Ibid, quod sit *voluntas longè nequior:* pag. 61. *Quod gehennæ metus ex proprio sui-ipsius amore nascatur, adeoque qui ob illam solam, & non Christum Dominum à gravi peccato abstinet, non solummodo plus illam timet, sed & seipsum supra Dominum diligit, quod est etiam cogitatu horrendum:* pag. 71. *Quod hic timor oriatur ex mercenario amore sui ipsius, quo homo sibi ipsi bene vult esse, non solum in hac vita, sed etiam in futura; Porro sui-ipsius amorem, quo homo non in Deo, sed in seipso seipsum diligit, esse fontem impurum, & omnis distorti affectus primam radicem; est unum è fundamentis doctrinæ Catholicæ & Augustinianæ:* pag. 68. Quod *servilis gehennæ metus omnino faciat, dumtaxat tamen occasionaliter, aut potius ostendat nos magis peccatores:* pag. 78.

29. Sententia ergo hujus Auctoris est, omnem gehennæ metum, & ex hoc

hoc motivo conceptam attritionem, si desit Dei super omnia dilectio, necessariò involvere, vel annexum habere peccatum mortale. Hæc doctrina videtur desumpta ex Jansenio Tom. 3 lib. 5. cap. 27. & sequentibus, ubi fatetur suam sententiam esse contra plerosque scholasticos.

Cujus tam heteroclytæ doctrinæ rationem assignat Jansenius cap. 29. *Quia Philosophorum omnium unanimis & certa sententia est., ea quæ aguntur purè ex metu esse involuntaria secundum se spectata; prout verò hic & nunc aguntur voluntaria, hoc est ex utroque mixta.... ex quo fit ut hujusmodi voluntatis actum conjunctum habeat: nollem hoc facere, vel nollem abstinere, nisi mali impendentis metu cogerer....qui ergo purè ex metu facit, necessariò sentit talem repugnantiam ad id quod metu facit.* Et, ut habet ejusdem capitis titulus: *Qui nudo timore pœnæ peccatum fugit, invitus & animo repugnanti fugit, ideoque non fugit peccatum, sed aliud quidpiam.*

Eodem fundamento pro hac doctrina utitur Lutherus tum in sermone de pœnitentia, tum sæpe alibi. Quare in hanc videntur inducti sententiam ex male intellecto communi hoc axiomate: *metus causat involuntarium secundum quid.* Quod quomodo intelligendum sit dicemus, postquam quasdam consequentias ex doctrina Patris Lupi elicuerimus.

§. 1.

Quænam necessariò consequantur ex doctrina P. Lupi,

30. EX illius doctrina legitime sequitur 1. quod is, qui ante baptismum mortaliter deliquit, numquam possit justificationem obtinere, nisi novum peccatum mortale committat: baptizatus vero si peccet mortaliter, non nisi in rarissimo casu justificari possit, nisi novo mortali admisso.

Facilis est hujus sequelæ probatio: nam ut jam vidimus juxta Patrem Lupum timor servilis habet necessario sibi adjunctum mortale: atqui juxta eumdem cap. ultimo, vera pœnitentia nondum baptizati semper debet inchoari à timore servili, & qui per veram charitatem expellatur; Pœnitentia verò baptizati ab eodem timore regulariter inchoari debet. Ergo juxta illum nullus qui mortaliter peccavit (si casus rarissimos excipias) justificari potest, nisi admittat novum mortale.

31. Egregia profectò hæc est scelerum pœnitentia, quæ non nisi cum novo scelere peragi potest. An lex naturæ ac divina, dum pœnitentiam peccati præcipit, id præcipere dicenda est, quod sine mortali impleri nequit? Quis umquam Catholicus credidit, se commissi criminis veniam consequi non posse, nisi novum veteri adderet? Quis in foro pœnitentiæ, dum furtum, homicidium &c. confitetur, sese insuper accusat de peccato tunc admisso, dum sese seriò ad veniam à Deo per Sacramentũ obtinendam disponebat? Quis Confessarius pœnitentes admonet de hoc peccato in confessione

ne exprimendo? Non agnoſcunt ergo Catholici tam impiam pœnitentiam, quam mirum eſt potuiſſe à Chriſtiano Doctore procudi: mirum magis reperiri potuiſſe, qui talem doctrinam, ut ſcripturis ſacris ac Conciliorum & SS. Patrum doctrinę conſonam laudarent.

Ponamus hominem, qui ante baptiſmum mortaliter peccavit, hic quo ſeſe vertet? ſi non agat pœnitentiam, peccat contra Dei ac naturæ legem: ſi agat, novum admittit mortale & idem regulariter locum habet in iis, qui ſuſcepto baptiſmo peccarunt. Si qui fortè ſint futuri hujus ſententiæ ſequaces (quod non arbitror) monendi ſunt, ut prius exquirant, utrum peccatum majus ſit, an illud quod committeretur non agendo pœnitentiam, an verò illud quod dicitur timori neceſſariò annecti: ſi hoc poſterius, utpote quod conſtituat *oſorem Dei ac inimicum*, pronuntietur eſſe majus peccatum: jam paſſim homines liberantur obligatione pœnitendi. Si vero dicatur eſſe minus; fateri oportet illi timori non annecti mortale, cum evidens ſit, quod peccare non poſſit, qui dum utrumque vitare non poteſt, illud vitat quod gravius malum eſt: ne alias peccetur in eo, quod vitari nequit.

32. Ex eadem doctrina ſequitur 2. peccatorem, dum attritionem elicit, fieri hypocritam hoc ſenſu, quod exterius à peccato abſtineat, latente interius peccaminoſa voluntate, adeoque, quod exterius facit, non faciat ex animo & ſincero corde. Hanc autem veram hypocriſim eſſe exiſtimarunt quidam & D. Auguſtinus tales vocat *fallaciter juſtos*. ut refert P. Lupus pag. 81. negat tamen ipſe per hoc conſtitui hypocritas. Quidquid de eo ſit, ſatis nobis eſt, quod conſtituantur hypocritæ eo ſenſu, quo id paſſim aſſerit Lutherus: Hic enim in diſputatione ante ſermonem de pœnitentia Theſi 67. & 68. ita loquitur: *Hypocritarum juſtitia eſt, opere & foris non occidere, mœchari &c. Gratia Dei eſt nec concupiſcere.* Et in ſermone de pœnitentia: *Hæc contritio facit hypocritam, quia ſolum timore præcepti & dolore damni id faciunt..... & ſi liberè deberent confiteri, certè dicerent ſibi non diſplicere vitam præteritam.* Et rurſum in reſolution. ſuper Lipſiæ diſputatis: *Cum ergo peccator ante gratiam juſſus peccata diſcutere, neceſſariò legis Dei ſit memor, neceſſe eſt, ut concupiſcentias refricet, & legem odiat; quam ſola gratia diligere facit. Ita fit ut hypocrita fiat.* Denique adverſus artic. 6. à Leone X. damnatum ita ſcribit: *Quod ex corde non fit, jam hypocriſis eſt, ut dicit Chriſtus Matth. 15. cor eorum longe eſt à me: at contritio per peccatorum collectionem parata, ſine amore Dei & juſtitiæ, hoc eſt ſine corde conterit, quare neceſſariò ſequitur facere hypocritam, quia nec volenter, nec amanter conteritur in corde ſuo. Ego enim hypocritam aliter definire non poſſum, quam eum, qui id, quod facit, non ex animo & ſincero corde facit.* Ecce Lutherus tum ante tum poſt condemnationem, dum aſſerit illum dolorem facere hypocritam, intelligit hoc ſenſu, quod cum exterius non peccet, intus tamen concupiſcit, odit legem, non ex animo & ſincero corde dolet, non diſplicet ei vita præterita &c. atqui

attritus ex metu gehennæ verè fit hypocrita hoc ſenſu juxta P. Lupum, ergo juxta eumdem rectè & Catholicè, quoad hoc ſenſit Lutherus, nec fuit cenſuræ obnoxius.

33. Ex iiſdem principiis ſequitur 3. quod qui atteritur, conſtituatur magis peccator, addit enim veteribus peccatum novum, quod eſt ſimpliciter & propriè conſtitui magis peccatorem, & in hoc ſenſu paſſim loquitur Lutherus, dum dicit fieri magis peccatorem: nam in ſua diſputatione hanc ponit poſitionem tertiam. *Qui pœnitentiam à peccatorum deteſtatione ante dilectionem juſtitiæ incipi, nec in eo PECCARI aſſerit, hunc inter Pelagianos hæreticos numeramus.* Cui theſi hanc opponit Eckius: *Aſtruentem pœnitentiam non rectè inchoari à deteſtatione peccatorum, recogitando gravitatem peccati & pœnæ & quod faciat MAGIS PECCATOREM tamquam Evangelio & SS. Patribus contrarium dicimus non audiendum.* Dixerat Lutherus peccari dum à timore inchoatur pœnitentia (quod idem aſſerit P. Lupus) id explicat Eckius per facere magis peccatorem, adeoque apud ipſos hæc duo idem ſignificabant. Et rurſus in diſput: Lipſ. relatis his Eckii verbis: *nos poſſe dignos fructus pœnitentiæ facere, ſi à timore inceperimus.* Reſpondet Lutherus: *Hoc ſecundum S. Auguſtinum ſic explico, ſi peccata peccatis addiderimus* Et inf: *Qua inſania dicere audet* (Eckius) *in iſta Pelagiana propoſitione, quod non modò non peccet, ſed ſecundum Evangelium & Patres agat, qui pœnitentiam à deteſtatione peccati incipiat, hoc eſt à peccando pœnitere incipiat.* Neque aliud vult, dum ad illud Eckii: *bonus eſt timor & utilis, per quem paulatim fit conſuetudo juſtitiæ.* Reſpondet: *hoc eſt meo judicio conſuetudo deſperandi & odiendi Deum* nam etiam juxta P. Lupum qui dolet ex timore conſtituitur *oſor Dei.*

Senſit ergo Lutherus dolentem ex metu gehennæ conſtitui hypocritam, & magis peccatorem, ex eo, quod in ſic dolente neceſſariò maneat affectus ad peccatum, odium legis, diſplicentia in eo, quod non liceat peccare &c. Illum tamen in hoc damnat Leo X. & poſtea Concilium Tridentinum: ergo &c.

34. Præſenſit hanc difficultatem P. Lupus; hinc cap. 16. quærit: An Synodus rectè dicat, quod ſervilis gehennarum metus non faciat hominem magis peccatorem? & reſpondet rectè dicere, *etenim*, inquit, *loquitur cum Auguſtino* &c. Ecce rationem, cur rectè definiat Tridentinum. Ego vero è contra dicendum autumo, nempe dum Conciliorum dictis conſentientia reperiuntur in Auguſtino, præcipuum robur Auguſtino à Conciliis accedere: ſuam vero Conciliorum definitionibus veritatem & firmitatem integram ſtare, ſive idem dixerit Auguſtinus ſive oppoſitum; quod obiter contra tales loquendi modos volui indicatum.

Nunc quid ad rem noſtram reſpondeat P. Lupus videamus: ita loquitur loco citato: *Quia nempe iſte gehennæ timor facit minus peccatorem; licet non interna, externa tamen peccata vitat, atque ita mediam divinæ legis partem explet, quod*

quis non videt esse peccatum minus plena prævaricatione. Eodem modo id explicat Jansenius cap. 35. *Timor quamvis à peccato animum non contineat, manum tamen cæteraque coercet membra, ne in facta prosiliant. Longe vero mitius ac minus est sola voluntate peccare, quam ruptis timoris repagulis in apertam legis erumpere prævaricationem.*

35. Concedo nunc P. Lupo actum internum esse peccatum minus, quam si insuper accedat actus externus, adeoque & minus peccari. Verum nihil id facit ad punctum de quo agimus: neque enim quæritur, an qui ex metu gehennæ dolet de peccato commisso, magis peccet, seu constituatur gravius peccans, quam si præterea aliud quid mali adjungeret, aut etiam quam ante peccaverat; sed an sic dolens constituatur magis peccator, quam erat ante. Peccantem esse denotat solum actum, qui de facto ponitur, denominatio verò peccatoris desumitur etiam à peccato præterito. Unde qui post grave crimen committit aliud levius, licet per hoc sit minus peccans, constituitur tamen magis peccator. Sic qui reus adulterii fornicatur, jam minus peccat, quam si rursus adulteraretur, adeoque minus, quam ante peccaverat, fit tamen per fornicationem superadditam magis peccator. Propositio autem, quam damnat Leo X. non est, quod sic dolens constituatur magis peccans, sed quod fiat magis peccator. Quin cum Lutherus aperte fateatur, timorem gehennæ cohibere à peccatis externis, quando dixit illo timore hominem fieri magis peccatorem, nihil aliud intellexit, quam, prout sæpe explicat, peccatum novum addi veteribus, quod propriè est constitui magis peccatorem.

§. 2.

Resolvitur quæstio Proposita.

36. ASsert. 1. Necesse non est, ut quoties quis operatur ex metu, adsit voluntas inefficax faciendi oppositum, si abesset periculum mali, quod metuitur.

Prob. qui aversatur furtum ob metum patibuli non debet simul statuere, furaturus ne esset, si tantum esset furto præstituta pœna flagellationis, si solius infamiæ, si solius mulctæ pecuniariæ, sed potest ab his præscindens simpliciter detestari furtum ob metum patibuli. Ergo similiter necesse non est ut, qui operatur ex metu, simul statuat non operari, si mali, quod timetur periculum abesset, sed ab eo præscindens potest simpliciter velle operari, ne incurrat malum, quod hic & nunc ab intellectu proponitur. Sic solent viri boni, & famæ, ut par est, amantes considerata solà infamià, quæ furtum consequitur, horrore ejus aliquo commoveri, & furtum utpote illius infamiæ causam detestari; quis autem dicere audeat, eos quoties id faciunt,

fovere

fovere in animo peccaminosam voluntatem furandi, si abesset infamiæ periculum. Sic quoque qui non vult furari, quia id repugnat justitiæ, non debet habere voluntatem furandi, si furtum tantum repugnaret charitati. Nec denique qui detestatur furtum ex amore Dei, debet habere voluntatem furandi, si Deum non amaret, vel si per impossibile Deus non esset.

37. Ratio à priori est: quia mors aut infamia, quæ timetur, allicit ac impellit voluntatem ad absolutam nolitionem furandi, eo quod illud malum furto incurratur: non allicit autem ad volitionem conditionatam furandi, si abesset periculum mali, nec ad hanc volitionem habet ullam proportionem, idque quia ille actus conditionatus in oppositum nec necessarius nec utilis est, ad vitandum malum, quod metuitur. Hinc quando voluntate ex metu operante adest actus inefficax in oppositum, hæc nolleitas non provenit à metu, ex quo opus fit, sed aliunde. Exemplum sit in ejiciente merces urgente tempestate; hic si simul habeat nolitionem inefficacem ejiciendi, ea nolitio non oritur ex metu submersionis, cum ad mortem evitandam illa nihil omnino conducat; sed oritur ex metu damni mercium, adeo ut si nullum esset jacturæ periculum, nullum quoque in ejectione mercium sentiret interiorem luctam aut pugnam. Patet id manifestè in casu, quo merces spectarent ad inimicum ejus, qui illas in mare abjicit; vel si sint propriæ ejicientis, casu quo sciret eas ejectas æquè salvas in portum perventuras, quam si navi veherentur: his enim & similibus casibus propensissimè ferretur voluntas in illarum ejectionem, sine ulla voluntatis repugnantia etiam inefficaci.

38. Quamvis ergo, dum voluntas operatur ex metu impellente, adesse possit & sæpe adsit volitio inefficax in oppositum, si nempe proponatur ab intellectu aliud hujus actus motivum; certum tamen est, non debere necessariò adesse hunc actum inefficacem in oppositum. Idque, ut jam ostendimus, verum est, etiam quando ille inefficax affectus nullo modo impedit evasionem mali, quod timetur: nam si in tempestate navim exoneres, nihilo majus minusve incurres submersionis periculum, sive inefficaciter optes, eas non ejicere, sive omni simili affectu sis planè liber: neque furcæ pœnam incurret, qui à furto abstinet, licet non careat voluntate furandi si periculum pœnæ abesset.

39. Assert. 2. à fortiori necesse non est, ut qui ex metu gehennæ peccata detestatur, habeat affectum inefficacem, aut conditionatè efficacem peccandi, si nòn esset gehenna.

Prob. 1. qui operatur ex metu alterius mali, non debet necessariò habere affectum inefficacem in contrarium, etiam quando hic, si adesset, non impediret efficacem fugam mali, quod timetur. Ergo à fortiori qui detestatur peccatum ex metu gehennæ, non debet habere affectum inefficacem ad

peccatum

peccatum, quandoquidem per hunc æquè incurrenda sit gehenna, quam per aliud peccatum.

40. Prob. 2. Necesse non est, ut, qui admisit aliquod mortale, identidem peccet, donec egerit pœnitentiam. Abstinuerit ergo à novo peccato per aliquot dies, & tunc incipiat ponderare gravitatem pœnæ, quam peccando incurrit, ac prodinde statuere eas omnino evitare, cavendo peccata in posterum, & quærendo remedium peccati commissi: quæro quid in casu sit, quod illum alliciat ad novum peccatum, seu ad affectum illum latentem? Non profectò pœnæ inferni per intellectum repræsentatæ: alias enim pœnæ, quæ de se vim habent retrahendi ab actionibus, quarum positione incurruntur, quasque ideo Deus statuit & comminatur, hominem ad peccandum invitarent; dicendumque consequenter foret, quod pœna patibuli cognita alliciat ad furandum: quo nihil dici posse stolidius fatebuntur etiam adversarii.

Dices illum actum inefficacem oriri à concupiscentia.

Resp. 1. sicuti, antequam repræsentarentur pœnæ inferni, non exurgebat concupiscentia; ita quoque potest hæc non rebellare propositis illis pœnis.

Resp. 2. cum Roffensi posse aliquem verè detestari peccata, etsi sentiat actus concupiscentiæ reluctantes, dummodo illis resistat ex motivo metus, quod jam supponitur repræsentari, & ex quo non obstante concupiscentia efficaciter detestatur & fugit alia peccata.

41. Prob. 3. Si timor gehennæ & ex illo conceptus dolor, necessariò habeat conjunctum mortale, dehortandi sunt homines, ne ex illo motivo peccata detestentur; malè etiam concionatores ea supplicia peccatoribus proponunt, malè venturam iram inculcavit Joannes & Christus ipse: prout fusius contra Lutherum deduxerunt Catholici. Eckius lib. 1. de pœnit. cap. 8. *Incussit protoplasto Deus timorem pœnarum, ne transgrederentur præceptum; dicet Ludder hic pro impietate sua, Deum voluisse ex protoplasto facere hypocritam?* & cap. 16. *Videmus Hieronymum adstruere timorem esse bonum, quem expetas à servis sicut amorem à filiis: quis autem ita desipit, ut dicat Deum expetere peccatum ab homine vel illud quo fiat hypocrita & magis peccator, sicut insanit Ludder.* Deniq. cap. 19. *Christus prohibet timorem mundanum & nos adhortatur ad timorem servilem, ad timorem gehennæ & ejus qui mittit in gehennam; si iste timor esset peccatum & faceret magis peccatorem; vide quæ blasphemia sequitur, Christum nos invitasse ad peccatum, docuisse nos, quo efficeremur magis peccatores.* Quæ argumenta locum habent non tantum si ipse timor dicatur mortaliter malus, sed etiam si dicatur necessariò habere sibi mortale conjunctum.

42. Ex dictis patet; magis consequenter locutum esse Lutherum, qui cum assereret (quamvis falsò) dolorem ex metu gehennæ involvere peccatum,

ſæpe urget non eſſe inculcandum peccatoribus metum gehennæ, ſed amorem juſtitiæ, ut ex hoc motivo peccata deteſtantes rectam pœnitentiam concipiant, quæ ex metu concepta non caret peccato. Rationabilius inquam, quam is qui cum metui velit neceſſario conjunctum mortale, aſſerit nihilominus pœnitentiam ab illo timore inchoari debere. Quod ultimum an tam generaliter verum ſit, ut cenſet ille auctor, hic non diſputo: hoc aſſero non poſſe utrumque ſimul eſſe verum, nempe quod & ille metus peccatum contineat, & ab illo debeat pœnitentia inchoari: quorum primum verum non eſſe hactenus oſtendimus.

43. Ad illud axioma: *metus cauſat involuntarium ſecundum quid*. Reſp. intelligendum de metu, qui retrahit ab opere, quod de facto ponitur, metus enim ille inclinat voluntatem in oppoſitum ejus, quod operatur, ac proinde cauſat ordinariè odium inefficax operis, & ſic facit, ut voluntas non tam intensè amet & appretiet id, quod operatur, ſed in hoc feratur minus propensè, quam ſi, ſtantibus reliquis, metus mali per opus incurrendi abeſſet. Sic dum quis metu mortis à tempeſtate imminentis ejicit merces in mare, metus damni ex ejectione obventuri, minuit voluntarium in earum ejectione. Idem fit, dum quis non obſtante metu gehennæ peccat; cum enim cognoſcat ſe peccando conſtitui reum gehennæ, hancque non poſſit non timere ſaltem inefficaciter, fit ut actum peccaminoſum ponat cum aliqua pugna & lucta, & cum quadam diſplicentia ac triſtitia, non autem cum illa acquieſcentia voluntatis, qualis eſſet, ſi per illum actum pœna non prævideretur incurrenda.

Quando verò metus impellit, ſeu invitat ac allicit ad opus, quod hîc & nunc exercetur (ſicuti timor gehennæ invitat ad non peccandum) tunc eodem ferè modo, quo concupiſcentia impellens facit, ut voluntas in illud feratur magis propensè.

CAPUT V.

An dari poſſit timor gehennæ, qui excludat omnem voluntatem peccandi.

TImorem poſſe non habere conjunctum actum voluntatis peccaminoſum conſtat ex cap. præced. adeoque poſſe excludere voluntatem peccandi negativè, quo modo excludere etiam poteſt quilibet actus voluntatis indifferens: hoc autem non eſt propriè excludere voluntatem peccandi.

44. Hic quærimus an attritio ex metu gehennæ poſſit excludere poſitivè voluntatem peccandi; nam ut rectè Suarez, Reginaldus, Tannerus

apud Exim. P. Farvacques in sua quodlibetica argumento 8. pag. 34. Quando Tridentinum addit; *si voluntatem peccandi excludat:* intelligi debet de exclusione positiva, sic ut sit formalis, vel virtualis repugnantia cum peccato, sive, ut loquitur Tannerus, sic ut voluntas peccandi simul esse non possit.

Hoc autem quia arbitrantur adversarii fieri nullo modo posse per actum cujus motivum sit solus gehennæ metus, inde præcipuum petunt suæ sententiæ fundamentum.

45. Jansenius Tom. 3. lib. 5. cap. 33. ait: *intelligere nequeo, quid sibi scholastici non nulli volunt, dum dolorem peccati ex pœnarum timore pullulantem tantopere extollunt, ut eum etiam omnem voluntatem peccandi excludere, & bene vivendi propositum includere putent. Quo nihil in Augustini doctrina absurdius & falsius dici potest.* Addit id esse impossibile &c.

Similiter P. Lupus pag. 83. *Addit Concilium si voluntatem peccandi excludat: Porro hanc voluntatem seu servilitatem excludi non posse, nisi per veram affectu saltem super omnia charitatem supra demonstratum est.* & pag. 84. *Tridentinum generatim sumptam contritionem dicit esse peccati detestationem & odium cum proposito non peccandi de cætero, quæ omnia certum est non posse fieri sine vera dilectione.*

Præter hos contendit P. Farvacques loco cit. non posse timorem gehennæ positivè excludere voluntatem peccandi. Ubi quia ad argumenta solvenda recurrit ad æquivocationem latentem in illa voce *efficax*, quam ipse non evoluit; necessarium erit aliquid præmittere de efficacia actus.

§. 2.

Declaratur volitio efficax.

46. QUando voluntati ab intellectu proponitur bonum aliquod, potest illa in hoc ferri diversimodè.

Primo sub simplici ratione boni per se amabilis, reperti in objecto, sine ullo ordine ad aliud, sive abstrahendo ab illius consecutione præsenti vel futura. Hic actus est simplex complacentia in bono, seu hujus amor simplex sistendo in ipso bono secundum se.

47. Secundò potest in illud tendere ut consequendum; sic ut optet quidem illud bonum sibi, non tamen statuat ac decernat illud consequi. Si hunc actum, quia non fertur in rem sistendo in ipsa, sed cum respectu ad aliud, sive ad ejus possessionem, vel ut loquitur Puteanus, quia cogitatur de objecto consequendo; si inquam illum propterea vocare velis efficacem, nihil moror quæstionem de nomine, dummodo sciatur non agi de efficacia in hoc sensu, quando dicimus volitionem efficacem beatitudinis positivè excludere voluntatem peccandi, & idem est de metu efficaci gehennæ. Cæterum ille actus merito rejicitur à numerò efficacium; est enim mera potius

tius velleitas seu quædam complacentia non quidem in bono secundum se & ibi sistendo, qualis erat actus primo loco recensitus, sed in ipso bono, quatenus ejus possessio bona est & amabilis, sive est simplex complacentia in illius boni possessione. Porro si agamus de beatitudine, vix reperietur alius amor inefficax circa illam, quàm jam dictus, neque enim solent homines ferri in beatitudinem in abstracto, sed in ejus possessionem hoc vel simili modo: opto vel optarem esse beatus. Hunc autem actum non excludere positivè voluntatem peccandi, per se manifestum est, nihil enim, prohibet actu peccantem, habere talem affectum ad beatitudinem, optarem fieri beatus: sicut potest æger optare sanitatem, licet nolit sumere potionem necessariam.

48. Tertiò potest voluntas ferri in bonum non tantum nudè complacendo in ejus boni possessione, sed pręterea firmiter decernendo illud consequi, cum aliqua tamen limitatione seu restrictione; v.g. per media facilia. Hic actus, si repræsententur media facilia, per quæ bonum illud obtineatur, æquivalet actui absolutè & illimitatè efficaci; si vero nulla talia media appareant, est quidem actus absolutè inefficax, sed efficax conditionatè, si talia media darentur. Sic potest quis absolutè velle evadere mortem per pharmaca, non autem per sectionem aut adustionem.

49. Atque hæc limitatio esse potest, non tantum ad facilitatem mediorum, sed etiam quoad alia v. g. quo ad tempus, si bonum sit tale, quod possit etiam futuro tempore obtineri. Sit aliquis qui firmiter statuat beatitudinem consequi, & ad hoc adhibere media: sed quia scit ad id sufficere, si in fine vitæ ponat requisita ad beatitudinem, statuit efficaciter illa tunc temporis adhibere, non autem jam, quando nondum apparet ullum mortis periculum. Talis habet volitionem beatitudinis aliquo modo efficacem (quam possis vocare spem) quæ non inferat quidem positionem mediorum hic & nunc (nisi casu quo cognosceret jam instare vitæ finem) sed pro tempore, quo cognoscet mortem esse præ foribus. Hic actus nondum est omnino efficax intentio beatitudinis, sed ex parte inefficax: cum enim possit quovis momento subitâ morte extingui, nihil tamen statuit de vitando periculo beatitudine excidendi, casu quo subitanea mors superveniat. Unde ille quoque actus non excludit positivè peccatum hic & nunc ponendum, quia nihil statuit dę vitando periculo, quod incurritur per peccatum, quod jam ponitur; sed tantum statuit eo tempore media adhibere, quo cognoscet mortem instare, quod supponitur hîc & nunc non cognoscere. Fieri autem potest, ut, licet jam peccet, postea nihilominus per pœnitentiam in fine vitę positam salutem æternam consequatur.

50. Quartò denique quando proponitur bonum, & simul media, quibus illud obtineri possit, potest voluntas vellę absolutè, & quam potest fir-

missimè statuere, illud bonum consequi, nullâ factâ limitatione circa media aut tempus, sed sic, ut statuat, ne ulli quidem per dilationem periculo aut incertitudini, illud non obtinendi, sese exponere v. g. proposito maximo bono visionis Dei æternæ, & simul mediis ad id necessariis, potest voluntas absolutè & firmiter statuere, illud bonum consequi, idque viâ certissimâ, sic ut nec periculo minimo se exponat illud amittendi. Hæc autem voluntas infert necessariò vel involvit volitionem absolutam non ponendi & non omittendi ea, quorum positio vel omissio conjuncta esset cum aliquo periculo beatitudine excidendi.

Et hæc est illa intentio seu voluntas efficax beatitudinis, quam illi, contra quos disputat P. Farvacques, asserunt positivè excludere voluntatem peccandi.

51. Atque hinc apparet, quinam actus versari possint circa malum.

Primò enim potest voluntas hoc simpliciter aversari ibi sistendo.

Secundò potest illud aversari cum respectu ad se, sic ut simpliciter optet illud sibi non evenire, non tamen statuat adhibere conatum ad vitandum. Et hic actus dicendus est fuga inefficax mali juxta dicta num. 47.

Tertiò potest velle illud vitare, sed solum per media facilia: & si malum putetur non obventurum, nisi postea, quod tamen vitari poterit, si aliquo tempore intermedio adhibeantur media, potest velle ea adhibere, sed tempore futuro, v. g. ex metu gehennæ velle pœnitere in fine vitæ, qui actus non obest, quo minus hîc & nunc peccetur, ut patet ex num. 49.

52. Quartò denique potest sic aversari illud malum, ut ne periculo quidem ejus incurrendi, v.g. gehennæ velit se exponere. Et hic est actus quem auctores vocant timorem gehennæ efficacem, negantque posse ullo pacto consistere cum voluntate mortaliter peccaminosâ.

53. Notandum primò quando aliquis actus, qui nunc est, versatur circa ponenda vel omittenda tempore futuro, non rectè inferri illum fuisse inefficacem ex eo, quod postea non ponantur vel omittantur illa, prout actus decreverat. Id enim oriri potest ex inconstantia & mutabilitate voluntatis humanæ. Unde, qui postea peccat, potest habuisse timorem efficacem gehennæ. Neque hoc negare possunt adversarii; nam etiam ille, qui jam ex amore Dei quantumcumque perfecto statuit, numquam Deum offendere, potest postea peccare & sæpe contingit, ut peccet; & tamen hunc fatentur esse actum efficacem. Quare ad hoc ut aliquis actus dicatur efficax, quatenus respicit futura, sufficit esse talem, ut si durasset, posita vel omissa fuissent illa, circa quæ versabatur actus; adeoque detestatio peccatorum sive ex amore Dei, sive ex metu gehennæ vel spe premii, non potest esse nisi affectivè efficax; quatenus tendit in futura; efficax verò etiam effectivè esse potest circa ea, quæ occurrunt, dum adest actus; quæ duo si habeantur jam habetur actus absolutè & omni modo possibili efficax,

No-

54. Notandum 2. Actuum nostrorum efficaciam solummodo considerari penes ea, quæ sunt in potestate nostra; unde si duo, similes actus in vita semper elicuissent, & uni eorum Deus per impossibile negaret cælum promissum, hic propterea non esset censendus habuisse actus minus efficaces circa beatitudinem, quam alter. Potest etiam uterque pœnitens habere æque efficacem timorem gehennæ, ex quo confitentur, licet alter eorum vel per negligentiam confessarii, vel aliunde non verè absolvatur.

§. 2.

Resolvitur Quæstio.

QUia in hac materia plerasque objectiones format P. Farvacques contra actum spei, necessarium duxi toto hoc capite, præter institutum, agere de utroque actu tam spei, quam timoris.

55. Assert: 1. dari potest desiderium beatitudinis sic efficax, ut excludat positivè omnem voluntatem peccandi. Id tamquam indubitatum supponent passim omnes, adeo ut supervacaneum videri possit id probare.

Prob. 1. dari potest desiderium alicujus boni creati sic efficax, ut inferat positionem omnium eorum, quæ ad illius consecutionem necessaria sunt, & quibus non positis vel periculum tantummodo esset illo bono excidendi: ergo dari potest desiderium vitæ æternæ, quod excludat omnem voluntatem peccandi. Antecedens patet, quia aliàs numquam dari posset desiderium boni creati, quin cum illo stare posset nolitio ejusdem boni etiam efficax; nam nolle media necessaria est cum effectu nolle finem. Consequentia clara est, quia medium ad consecutionem beatitudinis certam seu sine periculo excidendi, est abstinere ab omni mortali tam interno, quam externo.

56. Prob. 2. Amor Dei potest excludere omnem voluntatem peccandi, ergo etiam amor seu desiderium beatitudinis: Probatur conseq. quia sicut voluntas creata potest pro innatâ sibi libertate in Deum summum & increatum bonum ferri, vel amore tantum simplici & inefficaci, vel efficaci tantum conditionatè, vel denique eo amore efficaci, qui excludat omnem voluntatem ei displicendi: sic etiam potest in beatitudinem pro suo libitu ferri, vel simplici tantum complacentiâ, vel desiderio conditionatè tantum efficaci, vel denique eo desiderio, quo excludatur omne id, quo beatitudo amitteretur. Si quid enim obesset, esset quia est bonum creatum, hoc autem non obesse evidens docet experientia, quando homines perversi sæpe in vilissima bona creata feruntur amore magis forti & efficaci, quam sit amor quo viri sancti feruntur in Deum: ergo etiam poterit homo ferri in beatitudinem amore tam efficaci, quam alius feratur in Deum, adeoque

tam potenti, ut illo stante, poni nequeant, quæ beatitudinis consecutionem aut impedirent, aut periculum crearent.

57. Et sane qui id negarent, omnem sibi præcluderent modum probandi, quod amor Dei possit excludere voluntatem peccandi; nihil enim adferent, quod non similiter probet conclusionem nostram. Dicent enim, si amans Deum peccaret mortaliter, amaret & non amaret, vellet Deo bonum & non vellet, quos actus cum impossibile sit simul componi, necesse est excludi peccatum, dum adest amor Dei. Verum eodem modo; cum amor beatitudinis sit amor sui ipsius, ut ipsi admittunt; si desiderans beatitudinem peccaret, amaret se & non amaret, vellet sibi illud bonum & non vellet &c. Porro cum viri sancti passim agnoscant & deplorent, in multis hominibus reperiri amorem sui inordinatum, qui nimium potens sit & efficax; quâ veri specie dicetur, non posse reperiri amorem sui licitum & ordinatum circa beatitudinem, qui sit planè potens & efficax.

58. Assertio 2. potest etiam metus seu fuga gehennæ dari ita efficax, ut, dum adest, excludat omne peccatum actuale.

Prob. 1. quia dum Tridentinum sess. 14. cap. 4. dicit: *Illam vero attritionem, quoniam ex gehennæ metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat* &c. apertè supponit, dari posse quæ excludat voluntatem peccandi; aliàs enim attritionem chimæricam nobis obtruderet & sess. 6. can. 8. *Gehennæ metum per quem à peccando abstinemus.* Hic autem agit de metu exclusâ charitate, cum sit idem ille, quem eâdem sess. cap. 6. ponit tamquam sternentem viam ad spem & amorem.

59. P. Lupus cap. 13. referens hæc verba *per quem à peccando abstinemus* subjungit explicationis gratiâ *à peccatis externis.* Idem id est, ac si quis ad illa ejusdem Concilii verba. *Si voluntatem peccandi excludat: & cum proposito non peccandi de cætero* adderet nempe *peccandi peccatis externis:* Consideret P. Lupus utrum hic non rectè quadrarent verba, quæ initio suæ dedicatoriæ in alios immeritò contorquet.

60. Prob. 2. Possum aliquod malum sic aversari, ut stante illo actu impossibile sit, me ponere id, quo malum illud incurram: ergo possum sic aversari gehennam, ut impossibile sit, me simul admittere mortale, per quod scio gehennam incurri. Antecedens per se patet; quis enim dubitet, quin ex timore patibuli possim furtum sic detestari, ut non possim simul velle furari, per quod fierem patibuli reus. Deinde juxta adversarios timor gehennæ cohibet à peccatis externis, & ab interno, quo illa efficaciter imperarentur, & ut loquitur P. Lupus pag. 70. *Hæc cupiditas per servilem timorem omnino evacuatur.* Adeoque timor gehennæ positivè has actiones excludit; ergo etiam potest excludere quodvis aliud peccatum internum, quod æquè constituit reum gehennæ. Cum enim voluntas non sit minus domina sui, quam

motuum

motuum, qui in membris fiunt, si possit ex metu gehennæ admovere vel subducere manum, prout judicatur conducere ad vitandam gehennam; cur non poterit ex ejusdem mali metu, affectus internos excitare vel comprimere, quando hoc cognoscitur æquè necessarium ad vitandum idem malum? cur non poterit id plenè sibi imperare?

61. Sanè si lupus (quo simili familiariter utitur P. Lupus) qui, dum metu abigitur ab ovili, retinet inefficacem cupiditatem rapiendi & mactandi, nisi obstarent canes & pastores; si inquam, ille lupus sciret, eadem omnino sibi imminere mala ab illa cupiditate inefficaci, quæ ab absolutâ & efficaci, eodem timore utramque pariter contineret: cur ergo idem nón faceret homo?

62. Prob. 3. ex Patribus, qui generaliter asserunt timorem cohibere homines à peccatis.

S. Augustinus in Ps. 127. *Alius non in hac terra pati timet, sed gehennam timet; unde terruit etiam dominus: ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent & continent se à peccato. Habent timorem, & per TIMOREM CONTINENT SE A PECCATO. Timent quidem, sed non amant justitiam. Cum autem PER TIMOREM CONTINENT SE A PECCATO, fit consuetudo justitiæ.* Hunc locum sic explicat Lutherus, *continet se à peccato* scilicet *externo*, quam explicationem etiam quidam alii amplexi sunt: egregia profectò glossa, quasi adeo stupidi sint homines, ut nesciant voluntates malas gehennâ puniri; ideoque ad hanc vitandam sufficere credant, si contineant membra & manus: quasi nesciant illud Gregorii 19. Moral. cap. 12. *qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus, quasi hoc latus cooperuit, hoc latus nudavit.* Quasi ignorent illud Augustini sermone 19. de verbis Apostoli: *Deus cor interrogat, non manum.* Deinde si tantum agat de peccato externo, manente intus peccaminosâ voluntate; quomodo diceret per timorem fieri consuetudinem justitiæ, cum fiat consuetudo peccandi in sententia P. Lupi, nempe peccato interno, unde omnis peccati externi origo & radix.

63. Rursus Epist. 120. ad Honoratum: *timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Proinde præmissus timor in cor nostrum pellit inde consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum.* Agit hic de timore, quem expellit charitas, adeoque de servili, asseritque hunc intrantem in cor, inde, id est ex corde seu voluntate pellere consuetudinem malorum operum; mala autem cordis opera sunt actus interni. Juxta P. Lupum autem timor servilis auget & roborat consuetudinem malorum operum in corde. Absit etiam ut senserit Augustinus, quod actus, qui sine peccato esse non possit, præparet locum charitati.

64. Eamdem vim inesse timori judicii & mortis agnoscit Augustinus:

Tract.

Tract. 9. in Epist. Joannis: *Caput ergo timere diem judicii, timendo corrigit se, vigilat adversus hostes suos, id est peccata sua, incipit interius reviviscere, & mortificat membra sua, quæ sunt super terram, sicut dicit Apostolus; mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: spiritualia nequitiæ dicit membra super terram: nam sequitur & exponit avaritiam, immunditiam, & cætera quæ illic exequitur.* Per timorem ergo corrigit se homo, vigilat adversus peccata sua, mortificat spiritualia nequitiæ, quæ enumerat Apostolus juxta Augustinum: Atqui Apostolus eo loco agit de peccatis etiam internis, ut patet ex contextu & scopo, ergo etiam ab internis corrigit & mortificat sese homo per timorem. Adverte etiam quam egregia sit vigilia contra hostes in sententia P. Lupi, nempe talis, cum qua necessariò hostis, id est peccatum internum, admittitur. Et libro 2. de Genesi contra Manich: cap. 28. *nihil enim sic revocat homines à peccatis, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Quem locum cum Luthero objiceret Eckius lib. 1. de pœnit. cap. 12. addidit: *adhuc quæris caput Lædere: timor mortis imminentis revocat homines à peccatis.*

65. Denique juxta Augustinum timor gehennæ & desiderium vitæ æternæ facit, ut homo tormenta & mortem contemnat, irrideat totum mundum, & dona temporalia; ergo multò magis efficiet, ut abstineat ab actu quopiam inefficaci, aut alio quocumque, quem facillimè homo comprimeret, si propter illum sola mors temporalis, aut tormenta in corpore essent toleranda. In Ps. 63. *Quod supra homines est time, & homines te non terrebunt. Mortem sempiternam time, & præsentem non curabis. Voluptatem illam incorruptam & quietem sine labe concupisce, & promittentem dona ista temporalia, & totum mundum deridebis. Ama ergo & time, ama quod promittit Deus, time quod minatur Deus, nec corrumperis ex eo, quod promittit, nec terreberis ex eo, quod minatur homo.* Et Concione 30. in Ps. 118. *& à verbis tuis formidavit cor meum. Habuerunt quidem & illi* (id est Tyranni) *verba minacia, proscribo, occido &c. sed tua me potius verba terruerunt: nolite timere eos qui occidunt corpus, sed eum timete, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam. Ab his verbis tuis formidavit cor meum, & contempsi persecutorem meum, & vici diabolum:* sequitur: *EXULTABO ERGO* &c. *per ea verba vicit, à quibus formidavit.* &c. Denique enarr: in Ps. 68. *Præmisit Dominus, nolite timere eos &c. Majore timore minora contemnimus, & majore æternitatis cupiditate, omnia temporalia fastidimus. Nam & hic deliciæ temporales dulces sunt, & tribulationes temporales amaræ sunt. Sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum metuens ignis gehennarum? & quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini, vitæ æternæ?*

66. S. Gregorius lib. 2. in 1. Regum cap. 1. in illud: *Dominus mortificat & vivificat, ducit ad inferos & reducit.* Ita loquitur: *ut mortificet, ducit ad inferos, & ut vivificet reducit ab inferis. Omnipotenti etenim Deo ad inferos ducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere. Ei quoque ab inferis reducere, est*

territas

territas pœnitentium atque commissa lugentium mentes sese vitæ indesinentis attollere. Tunc quippe PECCARE DESINIMUS, *cum superna gratia mollitis cordibus* FUTURA TORMENTA FORMIDAMUS. *Et ab infetis reducimur, cum interno visitati solatio, ad spem veniæ de pœnitentiæ lamento respiramus.*

Et lib. 26. Moral. cap. 27. stultos vocat qui ne pœnis quidem à culpa compescuntur. *Sæpe qui jubentis verba non audiunt, ferientis verberibus admonentur, ut ad bona æterna saltem pœnæ trahant, quos præmia non invitant..... sunt non nulli, quos à perditis moribus nec tormenta compescunt..... fatuitas quippe stultitiæ est, quod illos sic iniquitas obligat, ut à culpa eos nec pœna compescat.*

Item lib. 5. in 1. Regum cap. 2. in hæc verba: *servite domino & timete eum in veritate.* Subdit: *Hæc quidem via bona & recta est, quæ ad æternam vitam tendit & velociter pervenit. Per* TIMOREM *quippe domini* DEVITANTUR MALA.

67. Idem Homil. 7. in Ezech. de timore judicii: *Sed hunc ideo tunc electi terribilem non videbunt, quia modo terrorem illius considerare non cessant. Studiosè enim considerant, quam terribilis ad judicium veniat. Culpas anteactas deflent, imminentes declinant. Pavorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt, & timendo agunt, ne quando venerit pertimescant..... & quia ipse pavor ejus, quem in suis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit, rectè subjungitur:* EXTENTI SUPER CAPITA EORUM DESUPER. *Firmamentum hoc, quod in similitudinem crystalli super capita eorum animalium apparet, & horribile & extentum est, quia bonorum mentes* UNDE TERRET, INDE PROTEGIT. *Si enim pavendus in eorum cordibus non esset, protector & modo à peccatis, & post à suppliciis non fuisset. Quia autem semper considerant, quis pavor ex judicio immineat, virtutum pennas in rectitudinem conservant.* Homil. 26. in Evangelia: *Hunc tanti timoris judicem ante oculos ponite. Hunc venturum timete, ut cum venerit, non timidi, sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror ejus nos ad usum bonæ operationis exerceat,* METUS *illius vitam nostram* A PRAVITATE COMPESCAT. Vide eundem lib. 5. Moral. cap. 13. lib. 16. cap. 13. per totum.

68. Idem de desiderio vitæ æternæ pronuntiat hic S. Pater. Homil. 17. in Ezech. *spes enim cælestium mentem solidat, ne concutiatur fluctibus tumultuum terrenorum, de qua & per Paulum dicitur, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Lib 19. Moral. cap. 14. *Qui enim æternæ retributionis bona cogitat, necesse est, ut ad omnem se causam secuturæ mercedis extendat. Hinc per Salomonem dicitur,* QUI DEUM TIMET NIHIL NEGLIGIT. Denique lib. 5. in 1. Regum cap. 3. *tantò jam fortius oblata mundi oblectamenta respuit, quantò jam cælestia ferventius diligit.* & ibid. cap. 4. *Potenter corpus extenuat, qui amore cælestium cor inflammat: quia dum spiritualia fortiter diligit, desideria carnis valenter premit..... pauper spiritu esse non poterit, qui amare adhuc thesauros æternos nescit. Sic nimirum ira vincitur, si amore cælestium perfectè terrena omnia despiciantur. Sic quoque acediæ vitium, id est, tadium cordis depellitur, si semper bona cælestia cogitentur.* TÆDERE QUI-

DEM MENS NULLATENUS POTEST, QUÆ TAM JUCUNDA BONA PATANTER VIDET.

69. S. Ambrosius ferm. 8. in Ps. 118. in illud: *Particeps ego sum timentium te*, ait: *quia sunt qui ignava formidine pertimescunt, & hebeti trepidant metu, addidit & custodientium mandata tua.... QUi ergo TIMET, CUSTODIT: ergo ejus est custodire, qui timeat.* & ibid ferm. 13. *Tunc cognoscitur Dominus, cum TIMENTIUM convertit AFFECTUS gravis TERRORE JUDICII.* & fermone 6. in eumdem Ps. *Is qui in judiciis Dei sperat, servare potest verbum veritatis: quia dum VERETUR POENAM, CUSTODIT GRATIAM. Ideoque ait: & custodiam legem tuam semper.*

70. Idem in Epist. ad Coloss. cap. 3 relatis Apostoli verbis: *Induimini viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem &c.* subjungit; *Ut lucrum possitis habere, ad hæc eos facienda hortatur; quæ meritum collocant apud Deum. A PECCATIS autem ABSTINERE TIMOR FACIT: veretur enim, ne mala faciens pœnis subdatur. Hæc autem quæ nunc facienda monet, ad profectum pertinent meritorum, ex voluntate enim fiunt, non ex necessitate..... super hæc autem omnia charitatem habete. Quia enim omnium major est charitas, huic magis studendum hortatur &c. Unde & dominus amari se maluit quam timeri.* Ubi vides pulcherrimè expressa, quæ docent auctores nostræ sententiæ 1. quod timor faciat abstinere a peccatis 2. quod ad opera bona, quæ fiunt non ex necessitate præcepti, non instiget timor pœnæ, adeoque ad hæc alio opus sit motivo 3. quod hæc omnia optimè & perfectissimè fiant, dum fiunt ex motivo charitatis. Eumdem sensum habere videntur verba Augustini sermone 19. de verbis Apostoli: *Si timore gehennæ non facis malum, nondum amore justitiæ facis bonum:* per amorem autem justitiæ, ut patet ex sequentibus, intelligit desiderium vitæ æternæ.

Item libro de viduis cap. 8. *Si mente cernerent homines peccatores, quale judicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculari; si non infidelitate gravarentur.* Lib. 5. de fide cap. 8. *Nobis enim scire non proderat, ut dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tamquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus; ne nos inter vitia dies domini deprehendat.....Proderat ignorare, ut ignorantes timeremus, ut observantes emendaremur.* Denique ferm. 21. in Ps. 118. afferit, timore gehennæ & judicii, exquisitissima quæque tormenta tyrannorum superari, & subdit: *excludit timor timorem. Si enim ingressus quis balneas, solis deponit æstus, & calor excludit calorem: quanto magis divini judicii terror hunc terrorem excludet humanum?* Idem attribuit desiderio gloriæ cælestis ferm. 7. in eumdem Psalmum concludens. *Quisquis enim meliora sperat numquam levioribus frangetur.* E contra vero *Omnis qui aliquid sine spe agit, orta tribulatione succumbit.* Ut loquitur in Epist. 1. ad Thessalon. cap. 2.

71. Origenes lib. 3. in Joh. circa finem *Nam & verè nisi primum obscuraverit*

verit diabolus corda hominum, nisi prius infuscaverit animas eorum, nisi prius oblivionem dederit timoris Dei atque terribilium judiciorum ejus, non utique valebit umquam peccatorum semen seminare in cordibus eorum.

Et in Epist. ad Rom. lib. 5. in fine: *Non sine causa dixit: existimate vos mortuos esse peccato: Reverâ enim, de quâ sermo est, in cogitatione magis & ratione subsistit, quia hujusmodi mors non in effectu, sed in cogitatione habenda est. Qui enim cogitat vel existimat se esse mortuum, non peccat: Verbi gratiâ: si me concupiscentia mulieris trahit, si argenti, si auri, si prædii cupiditas pulset, & ponam in corde meo, quod mortuus sum cum Christo, & de morte cogitem, extinguitur continuò concupiscentia & effugatur peccatum, aut si odio vel irâ inflammatus ad necem concitet inimici mei, si me existimem mortuum esse cum Christo, & cogitationes mortis ponam in animo meo, extinguitur sine dubio ira, furor residit, odium conquiescit, peccato non datur locus, & hoc modo peccato quis mori invenitur.*

72. S. Prosper lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 9. *Hunc autem consensum* (voluntatis in bonum) *non solum cohortatio; sed & METUS gignit: propter quod scriptum est: Principium sapientiæ timor domini. Qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit, quam ut quem fecerit TIMENTEM, FACIAT ET VOLENTEM....Cum ergo hic timor immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur, sed illa potius, quæ mentem premebat, caligo distruitur, ut voluntas depravata prius atque captiva, recta efficiatur & libera.*

73. S. Hieronymus in caput 1. Malachiæ: *Qui spiritum adoptionis, in filium Dei vertitur; qui autem spiritum servitutis in timorem Dei, servus efficitur. Vult itaque primum Deus, ut filii ejus simus, & bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus, ut saltem servos nos habeat, & à MALIS per SUPPLICIORUM FORMIDINEM recedamus.*

Item ad Damasum asserit spe bonorum temporalium à Deo impetrandorum, compelli homines ad obsequium præceptorum; quanto magis spe præmii æterni vel metu pœnæ æternæ. Ita autem loquitur: *Mercenarios secundum alium intellectum eos animadvertimus ex Judæis, qui ob præsentia tantum bona, legis præcepta custodiunt: hi justi sunt & misericordes, non ob ipsam justitiam, & ob ipsum misericordiæ bonum, sed ut à Deo terrenæ felicitatis, & longæ vitæ premium consequantur. Qui autem ista desiderat, meritò compellitur ad obsequium præceptorum, ne eorum præcogitatione careat concupitis.*

Alibi asserit viduam numquam inituram secundas nuptias, si attentè recogitet extremum judicium. Alibi quòd ipse metu gehennæ carcere se damnaverit, factusque sit scorpionum tantum & ferarum socius.

74. S. Cyprianus lib. de exhort. martyrii cap. ultimo postquam ostendisset quantum in cælis præmium Martyres maneat, ait: *Has cogitationes quæ persecutio potest vincere? quæ possunt tormenta superare?* & infra: *Hæc oportet mente contemplari, & cogitatione hæc die ac nocte meditari. Si talem persecutionis dies Christi*

 militem

militem repererit, vinci non potest VIRTUS AD PRÆMIUM PROMPTA.

S. Basilius in Psal. 33. *Quemadmodum qui corporis membra habent clavis transfixa, ea habent ad operationem immobilia: sic quorum animum occupavit Dei timor, omnem importunitatem, quæ ex peccati affectione ac perturbatione oritur, vitant. Timenti itaque non est inopia, hoc est, nihil illi ad ullam virtutem deest, qui per TIMOREM ab OMNI PRAVA ACTIONE cohibetur.* Et quibusdam interjectis: *si quando ad peccatum concitaris, velim cogites horribile illud & intolerabile Christi tribunal....Deinde pœnam illam omnium durissimam probrum illud & verecundiam sempiternam. Hæc time, & hoc TIMORE instructus, tamquam freno quopiam animam COHIBE ab ea, quæ ad malum est, CUPIDITATE. Hunc domini timorem nos Pater se promisit esse docturum.*

75. Patrum testimoniis adjungo id, quod in hac materia senserunt Fischerus & Eckius contra Lutherum. Prior ita loquitur ad art. 14. *Qui damnum perpendit immensitatem, quod ex peccato conquisivit, is odiet facilè peccatum & detestabitur tam in aliis, quam in seipso, neque minus id quod occultum est, quam quod est agnitum.* Eckius verò libro 1. de Pœnit. cap. 6. *Fallitur hic apertissimè Ludderus, quod existimat pœnitentem non posse odire peccatum, nisi afficiatur ad bonum; cum omnis homo, qui spirat, noverit odiri peccatum propter timorem pœnæ.... Quomodo non odiret prodigus peccatum, ex quo in tantam venit miseriam ac omnium rerum inopiam: hac pro evacuatione fuci Ludderani, licet per se frivoli & temerarii dicta sufficiant.*

§. 3.

Solutio Argumentorum.

76. Adversarii passim vix aliud nobis opponunt quàm, commune axioma: *metus causat involuntarium secundum quid.* Et aliquot testimonia D. Augustini suis avulsa locis, vel malè intellecta. Quibus non contentus P. Farvacques plurima argumenta à ratione congessit, quæ hic eodem ordine referemus ostendemusque planè inefficacia esse.

Opponit 1. cum attritione servili simul esse potest voluntas peccandi, ergo hæc ab illa positivè non excluditur. Antec. probat. Fides infidelitatem, temperantia intemperantiam, castitas luxuriam, liberalitas avaritiam, &c. eodem corde morari non patitur: verùm potest quis simul esse fidelis & intemperans; castus & superbus; humilis & avarus: neque ulla illarum virtutum particularium omnia vitia à suo consortio excludit. Ergo spes Theologica (seu timor gehennæ qui ad illam reducitur) licet non patiatur secum stare desperationem, non excludet tamen intemperantiam aliaque vitia disparata.

Resp. 1. retorquendo argumentum: temperantia excludit intemperantiam & non alia vitia, ergo amor Dei excludit odium Dei, non autem intemperantiam,

temperantiam, luxuriam &c. Nihil huic argumento respondebit, quo suum non perimat.

Resp. ergo 2. pro utroque negando antec. ad probationem, dissimulato antecedente, nego conseq. disparitas evidens fiet consideranti illarum virtutum actus. Cum enim liberalitas v. g. nihil omnino conferat ad moderationem venereorum, quod est castitatis objectum, nihil prohibet absolutè & efficaciter intendi & obtineri castitatem, etsi nec intendatur, nec habeatur liberalitas, sed homo de facto sit prodigus vel avarus: neque hinc sequitur quod idem velit & nolit. Cum autem actus spei sit desiderium firmum obtinendi gloriam nec exponendi se periculo ea excidendi: medium autem ad hoc sit non peccare peccato quocumque, mirum non est, quod omnia peccata excludat, quorum unum si vellet committere, jam idem vellet ac nollet, æque ac si amans Deum peccaret: unde non magis alia vitia se habent disparatè ad spem, quam ad amorem Dei. Dixi, transeat antecedens: nam si, ut ait Hieronymus ad Estochium, nisi adsit temperantia in cibo & potu, *pudicitia tuta esse non possit*: & ut loquitur Ambrosius lib. 1. de viduis: *esto casta primum à vino, ut possis esse casta ab adulterio*: perfectæ castitatis desiderium etiam excludere debet intemperantiam in cibo & potu, tamquam id sine quo castitas stare non possit.

77. Urget 1. si actus spei positivè excluderet voluntatem peccandi, numquam posset stare cum voluntate peccaminosa: atqui certissimum est posse cum hac stare: ergo. Minorem probat, quia aliàs sequeretur in peccatore non manere spem, quod Suarez censet erroneum.

Resp. dari actus spei planè inter se diversos, sicut & amoris, ut patet ex num. 49. & 50. Porro si agatur de actu spei relato num. 50. falsum est cum actu tali umquam stare posse voluntatem peccandi, licet stare possit cum alio actu de quo num. 49. non rectè autem fit argumentum ab uno actu ad alium diversum: sic licet dari possit amor Dei adeò perfectus, ut etiam excludat positivè voluntatem actualem mentiendi, non sequitur omnem dilectionem Dei id facere.

Ad probationem, quæ multâ laborat æquivocatione Resp. si per spem intelligat habitu, prout intelligit Suarez dicto loco, probatio est impertinens: quomodo enim ex eo, quod asserimus, sequitur non manere habitum spei in peccatore sive actuali sive habituali? Si vero loquatur de actu spei, Dico in eo qui est peccator habitualiter tantum, reperiri posse & de facto sæpe reperiri actum spei quemcumque: in eo verò qui actu peccat, licet reperiri possit aliquis actus spei, non tamen ille de quo num. 50. & de quo hic disputamus.

Urget 2. Actus fidei etiam intensissimus non excludit positivè voluntatem peccandi, ergo nec id facit actus spei.

Resp. eodem modo argumentabor; actus fidei non excludit, ergo nec actus amoris. Item quando fide humana credo dari Romam, non urgeor ad media assumenda quibus Romam perveniam, ergo nec id faciet ulla voluntas, qua decerno Romam videre.

78. Opponit 2. amor sui-ipsius quo quis diligit proprium commodum, non excludit voluntatem peccandi: ergo attritio quæ ex amore proprii commodi nascitur, non excludet voluntatem peccandi, non enim magis quam motivum cui innititur.

Resp. 1. illud argumentum simile esse huic: Amor sui-ipsius, quo quis immoderatè desiderat divitias quomodocumque comparandas non excludit voluntatem furandi, ergo absoluta fuga patibuli, quæ etiam noscitur ex amore sui ipsius, non impedit neque excludit voluntatem absolutam furandi, nec ipsum furtum. Quæ consequentia?

Resp. 2. amorem sui, quo quis quærit suum commodum temporale, sine dubio non excludere voluntatem peccandi. Ratio hujus est, quia omissio peccati non est medium ad hoc ut commodè sit in hac vita, sed ipsum potius peccatum sæpe ad hunc finem conducit: unde qui efficacissimè desiderat sibi commodè esse in hac vita, si stante illo actu occurrat præceptum, cujus impletio habet incommodum annexum, tantum abest, ut ille amor sui impediat violationem illius præcepti, ut potius violationem præcepti inferat. Aliud prorsus est in amore sui-ipsius, quo quis absolutè vult sibi bene esse in altera vita: cum enim ad hunc finem, prout intenditur, sit necessaria omissio omnis peccati, excludi debet peccatum quodcumque, ne aliàs illud bonum absolutè velit consequi, & simul in actu exercito nolit.

79. Objicit 3. Quid repugnat cum amore sui-ipsius stare simul odium legislatoris; cum proclive sit, ut, qui se amat, oderit illum, à quo damnum patitur? unde illud vulgare.

Quem metuit, quisque perire cupit.

Resp. jam diximus, quid repugnet, & cur proclive non sit odisse eum, à quo pœnam times, si illo odio eamdem incurras pœnam. Unde in hac probatione nihil novi additur præter illud hemistichium, cujus sensum investigandum relinquo Poëtis. Tantummodo quæro an quando fideles jubentur timere superiorem sæcularem, jubeantur velle ut pereat? An timens superiorem paulo rigidiorem, debeat velle illum perire? An denique jussit Christus nos cupere ut Deus pereat, dum jussit nos timere eum, qui potest mittere in gehennam?

80. Opponit 4. voluntas illa dicitur efficax, quæ efficit illud quod per modum finis intendit, eo quod assumat media ex se omnino efficacia. Atqui falsum est, quod actus spei sit intentio seu voluntas efficax beatitudinis in

sensu jam dicto (& idem est de timore gehennæ) ergo. Minorem probat: quia plurimi sperant beatitudinem, in quibus spes beatitudinem non efficit. Unde hoc sensu sola illa spes dicitur voluntas efficax beatitudinis de qua scriptum est: *Spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.*

Resp. 1. hunc authorem per suum latus nos impetere. Ponamus aliquem qui habet spem conjunctam amori imperfecto, qualem requiri & sufficere cum sacramento contendit: hic ut ait P. Farvacques habet spem efficacem beatitudinis. Quæro eodem modo quomodo illa spes esse possit efficax? Cum enim juxta illum talis actus sit mera attritio, & non nisi cum Sacramento justificans, plurimi sic sperant beatitudinem, in quibus tamen spes beatitudinem non efficit. Fateri ergo debet vel hoc argumentum non concludere, vel spem etiam illam, quam ponit, esse inefficacem voluntatem beatitudinis.

Resp. 2. sæpe fieri, ut is qui aliquando habuit actum spei in sensu nostro postea mutata voluntate non adhibeat media, & per consequens damnetur. Verum id non obest efficaciæ actus præteriti, nam aliàs nec efficax esset actus, quo vellem beatitudinem ex amore Dei etiam perfectissimo, adeoque per se justificante: contingit enim, ut, qui talem actum aliquando elicuit, postea peccet & damnetur. Fateri ergo omnes debemus, ad hoc, ut voluntas, quæ fertur in præsentia & futura, dicatur efficax, sufficere quod inferat positionem mediorum eo tempore quo durat: quoad futura vero, inferret, si tunc continuaretur: adeoq; quod, dum durat, sit efficax effectivè, quoad futura vero efficax saltem affectivè. Vide dicta num. 53. Quod si forte dicat, se agere de casu, quo actus spei aut timoris, quem nos ponimus, durat usque ad finem vitæ, videbit rursus idem esse in attritione quam ipse statuit: responsio autem patebit ex jam dicendis.

84. Instat: ergo solius spei & timoris præsidio possunt jam homines, & potuerunt olim Judæi obtinere beatitudinem & gehennam declinare, quod est perabsurdum.

Resp. 1. ergo solius spei ex amore imperfecto præsidio possunt jam homines, & potuerunt olim Judæi obtinere beatitudinem: ecce hic rursus pugnat æquè contra se.

Resp. 2. vel sermo est de eo qui jam justificatus est, vel de illo qui adhuc infectus est originali vel actuali mortali: si de justificato; Dico illum etiam & in veteri lege salvari posse præsidio spei vel timoris, si hi actus durent tempore intermedio inter justificationem & mortem: inferent enim impletionem omnium mandatorum Dei: hæc autem sola requiritur ad salutem in eo, qui jam justificatus est. Quod si verò sermo sit de eo cui nondum remissum est vel originale, vel mortale personale, fateor eum non posse salvari præsidio solius spei aut timoris, uti nec juxta Patrem Farvacques salvari

potest

potest præsidio solius attritionis, qualem ipse statuit, adeoque hinc malè infert actum, de quo agimus, esse inefficacem, nisi idem fateatur de suo. Uterque ergo ulterius requirimus aliquid aliud, nempe vel actum se solo justificantem, vel susceptionem Sacramenti, quorum mediorum ulterius requisitorum alterutrum inferet voluntas illa absoluta & firmissima salutis, qualem statuimus sicuti contritio perfecta infert de facto voluntatem suscipiendi Sacramentum Baptismi vel pœnitentiæ, quando adest potestas suscipiendi illa Sacramenta, quæ si in casu non susciperet, non salvaretur.

82. Ut autem clarius pateat insufficientia totius hujus argumenti; ponamus Deum (quod potuit) non annexuisse remissionem peccati soli contritioni perfectæ, sed præterea requisivisse quid aliud, v. g à divitibus eleëmosynam: quæro an posito eo casu, actus perfectæ contritionis minus excluderet voluntatem actualem peccandi, quam excludat de facto? æquè sine dubio excluderet, cum efficacia actus sit ejus prædicatum intrinsecum, & independens à præmio quod ob illum confertur; ergo ad exclusionem peccati actualis & efficaciam actus, nihil omnino facit, sive spes beatitudinis se sola sufficiat ad beatitudinem consequendam, sivè non; sed solum facit in ordine ad remissionem peccati præteriti. Unde ulterius in ordine ad exclusionem peccati actualis per actum, impertinens est, quod quis sit in peccato habituali: si enim actus spei vel timoris elicitus à justo faciat, ut simul stare nequeat voluntas actualis peccandi, eamdem excludet elicitus à peccatore.

83. Opponit 5. Licet actus spei imperet, ut voluntas abstineat ab omni peccato, si tamen nullus accedat benevolus in Deum affectus, voluntas non parebit. Assumptum probat; quia in casu voluntas non imperat sibi ex toto & plenè, neque ex affectu positivè contrario malæ voluntati in anima existenti; adeoque anima sibi ipsi resistente, non excluditur voluntas peccandi.

Resp. negando ass. ad probationem dico: imperet sibi ex toto & plenè, quod æquè potest ex motivo beatitudinis, quam ex amore sanitatis ex toto & plenè sibi imperare volitionem medicinæ necessariæ. Verum etiam non est, quod non imperet ex affectu positivè contrario voluntati malæ, cum amor beatitudinis illi æquè contrarietur, quam amor Dei, aut quam volitio sanitatis nolitioni medicinæ necessariæ. Porro quia hic Auctor videtur vim ponere in eo, quod mala voluntas existat in animo, sive, ut intelligo, præexistat, adverte hanc præexistentiam nihil omnino ad rem facere; nam sive præexistat sive non, idcirco non magis minusve excluditur eo tempore, quo adest actus spei, sicut non magis minusve ea propter excluderetur per actum amoris Dei. Quod locum habet in omnibus actibus contrariis.

84. Ad

84. Ad simile quod ibidem adfert de amore naturali, ex quo si voluntas sibi imperaret abstinentiam ab omni peccato non plenè, nec cum effectu imperaret.

Resp. quod actus unus voluntatis positivè repugnet alteri, petendum non est ex supernaturalitate; tam enim non possum idem velle & nolle per actus naturales, quam si alteruter aut uterque statuatur esse supernaturalis. Hinc dico, qui in statu puræ naturæ (quidquid sit de statu præsenti) Deum actu naturali perfectè amaret, non posset simul habere voluntatem peccandi. Sic si alterum hominem amore amicitiæ perfectè amo actu naturali, non possum simul velle malum ipsi inferre. Eodem modo absoluta voluntas fugiendi gehennam in statu puræ naturæ, non compateretur secum voluntatem peccandi, per quam gehenna incurreretur.

85. Instat: sit æger ita oppressus melancoliâ, ut, nisi eam depellat, sit brevi moriturus; non potest in casu amor vitæ plenè imperare actum gaudii, nisi accedat novum & priori contrarium motivum lætitiæ, nec imperare abstinentiam à tristitia, nisi accedat contrarium motivum illius abstinentiæ. Ergo similiter amor concupiscentiæ circa salutem non potest imperare abstinentiam à peccato aliis virtutibus opposito, nisi accedat motivum peccatis contrarium.

Resp. negando antecedens: sicuti enim ut voluntas ex amore sanitatis sumat potionem amaram, patiatur se uri & secari, non requiritur aliud motivum, quam bonitas sanitatis, ut experientiâ constat; imo cum sumptio illa sit medium, non habet quà tale aliam bonitatem quàm finis. Sic ergo ut voluntas cohibeat melancoliam, quatenus ea est libera, non requiritur in casu aliud motivum, quàm bonitas sanitatis.

Quod si ponamus in casu ægri, ad evadendam mortem non sufficere absentiam tristitiæ, sed insuper requiri positivam lætitiam; neque in intellectu adsit ulla cogitatio, quæ nata sit lætitiam terminare; fateor eo casu non posse voluntatem immediatè sibi imperare lætitiam, sed tantùm mediatè, imperando scilicet intellectui repræsentationem objecti lætitiæ excitandæ proportionati; non quo habeat novum motivum lætitiæ, sed quo habeat hujus objectum per intellectum repræsentatum. Neque id speciale est huic casui: nam proposito per intellectum solo bono, non potest voluntas sibi imperare odium, nec proposito solo malo amorem, nisi mediante in intellectu propositione objecti proportionati actui imperato.

Dixi: si ab intellectu non repræsentetur objectum lætitiæ; nam in casu illius ægri sufficiet ad concipiendam lætitiam, quod audiat nondum esse de vita sua desperatum; de quo objecto si gaudeat, æquè mortem evadet, quàm si de alio quopiam objecto.

86. Atque hæc de antecedenti, ex quo rectè intellecto nihil vel in spe-

 ciem

ciem contra nos inferri potest. Nam licet verum sit, quod voluntas non possit sibi imperare odium & abstinentiam ab omni peccato, quamdiu in eo non repræsentatur ab intellectu aliquid odibile, sed sola v. g. ejus bonitas & delectabilitas: potest tamen quando repræsentatur sub ratione mali; sufficienter autem repræsentatur ut tale, quando cognoscitur per illud incurri tormenta sine fine duratura, & amitti summum & æternum bonum: idque novit omnis qui spirat, ut dicebat Eckius num. 75.

Fatetur etiam P. Farvacques pag. 42. in medio, desiderium beatitudinis æternæ movere ad executionem mediorum, inter quæ præcipuum est abstinentia à peccato: si spes ad hanc moveat, cur quæso non possit voluntas tam potenti motivo sinere se trahi ad abstinentiam peccati? nisi contra sensum omnium dicas dari non posse intentionem finis efficacem, quæ efficax etiam sit circa mediorum adhibitionem.

Ex dictis patet, nullius planè roboris esse rationes contra nos hactenus factas. Quare cum in hoc puncto totus ferè vertatur controversiæ cardo, nosque fateamur, actum in Sacramento requisitum debere positivè excludere omne peccatum, toti in id incumbere deberent adversarii, ut efficaci quopiam argumento probent, non posse metum gehennæ positivè excludere omne peccatum, tunc enim vel nobis fatentibus rem confecerint.

§. 4.

Responsio ad testimonia D. Augustini.

NOn est animus sigillatim hîc referre & explicare testimonia D. Augustini sæpe valde prolixa. Solùm ergo aliqua notabimus ex quibus facile erit ea, quæ ex illo objici possunt, dissolvere.

87. Notandum primò: S. Augustinum per timorem servilem sæpe intelligere timorem humanum & malorum temporalium; timorem verò extremi judicii, timorem pœnarum æternarum, & amorem præmii cælestis vocare timorem castum. Sic intelligit libro de Sancta Virginitate cap. 38. Ubi adhortans virginem ad timorem Domini subdit: *Timor quidem non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem; sed timorem hominum, non timorem Dei; temporalium malorum, non divini in fine judicii.* Timor autem qui foras mittitur à charitate, etiam juxta adversarios, est omnis & solus timor servilis; ergo timor judicii, & æternorum malorum non est timor servilis juxta Augustinum hoc loco. Et eodem cap. infra: *Dicit Apostolus* NON ENIM ACCEPIMUS SPIRITUM SERVITUTIS ITERUM IN TIMORE, SED ACCEPIMUS SPIRITUM ADOPTIONIS FILIORUM. *Illum eum timorem credo dicere, qui datus erat in veteri testamento ne amitterentur temporalia bona, quæ Deus promiserat, nondum sub gratia liberis, sed sub lege adhuc servis. Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire*

servire, nondum est utique perfectæ charitatis. Ubi spiritum servitutis in timore explicat de timore temporalium malorum, de timore vero gehennæ tantummodo dicit, ex illo motivo Deo servire, nondum esse perfectæ charitatis, quod apud omnes in confesso est. Denique enarratione in Ps. 127. ante medium: *Alius timor permanet, alius excluditur, timor qui excluditur castus non est, qui autem permanet castus est. Quis est timor, qui excluditur? dignamini animadvertere; aliqui propterea tantùm timent, ne quid mali in terra patiantur, ne illis ægritudo accedat &c. adhuc timor iste non est castus.* Similia habet in Ps. 18. expositione 1. & in Psalm. 84. & alibi. Quidcumque autem dixerit Augustinus de timore servili, prout significat timorem mundanum & malorum temporalium, nihil urget contra spem boni, vel metum mali æterni, de quibus hic tantum agimus.

88. Porro de timore mali temporalis, & quidem ab homine infligendi, manifestè agit Augustinus in sermone 19. de verbis Apostoli; Ubi cum laudasset eos, qui inventam pecuniam domino suo reddunt, etiam dum nullus adest testis inventæ pecuniæ, pergens ad illos qui non reddunt, quando sine teste reperiunt, ait: *Quod invenisti, & non reddidisti, rapuisti. Qui alienum negat, si posset, & tolleret. Quod non tollis, timor prohibet; non bonum facis, sed malum metuis. Quid est magnum timere malum? magnum est non facere malum, magnum est amare bonum: nam & latro timet malum, & ubi non potest, non facit, & tamen latro est; Deus cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, jugulare, devorare: vigilant pastores, latrant canes; non aufert, non occidit; sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, & ovis redit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens, lupus est tamen & fremens & tremens. Interroga ergo te, & vide, si tunc non facis male, quando potes facere, & ab homine non puniris. Nemo est ibi, nisi tu & ille cui facis malum, & Deus qui ambos videt: hoc time.* Hunc locum Augustini sæpe inculcat P. Lupus, & pag. 64. ex eo probat timorem gehennæ cohibere tantùm à peccatis externis, manente interim in animo voluntate perversâ. Verùm non satis consideratè hunc locum adfert ad id probandum, idque duplici ex capite; primum est, quia illo loco agit Augustinus de peccato, quod opere completum est, nempe de iniqua rei inventæ detentione; ex eo autem quòd quis comparente domino neget rem a se inventam, eamque detineat, colligit Augustinus quod etiam raperet rem alienam, nisi pœnam ab homine timeret. Alterum est quia agit de timore pœnæ ab homine infligendæ, non autem de timore gehennæ aut pœna à Deo infligenda.

89. Similiter dum lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 83. ait: *Timor autem pœnarum, etsi nondum habet delectationem bonæ conscientiæ saltem intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem.* Quibus verbis passim utuntur adversarii; hoc inquam loco evidenter agit de timore pœnæ legibus humanis constitutæ ut indicat totus contextus. Quo eodem sensu dixit Epist. 144. *Nam*

pœna corporis, etsi non à voluntate, tamen revocat ab opere peccati. Nec facilè quisquam est, qui palam committat, quod per illicitam & immundam percipiat voluptatem, si cruciatus vindictæ certum est continuò secuturos: & hinc

90. Notandum 2. Nihil nos urgere omnia illa D. Augustini testimonia, quibus aliquid statuit de timore pœnæ, non addendo, quod agat de pœna gehennæ; nam illa explicari commodissimè possunt de timore pœnæ à judice humano infligendæ, de quo, ut vidimus, sæpe alibi agit, & quem certissimum est non excludere voluntatem internam peccandi, ut ostensum est num. 18. & sequentibus. Hoc modo explica quod dicit Concione 25. in Psalm. 118. *Timor quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est, & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas* &c.

91. Notandum 3. nihilo plus urgeri nos, sed potius adversarios, illis testimoniis, in quibus D. Augustinus præter timorem pœnæ tantùm requirit, ut adsit amor ac desiderium vitæ æternæ: fatentur enim adversarii eamdem planè rationem esse desiderii vitæ æternæ, & timoris gehennæ: Porrò non rarò S. Augustinus postquam dixerat non esse facienda bona vel omittenda mala ex timore gehennæ, subdit id faciendum ex desiderio vitæ æternæ. Sermone 19. de verbis Apostoli: *Si timore gehennæ non facis malum, nondum amore justitiæ facis bonum. Aliud est timere pœnam, aliud amare justitiam. Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre non cælum & terram, non spectacula nugatoria &c. sed desideres videre Deum tuum.... Ecce propter quam visionem fac bonum, ecce propter quam visionem noli facere malum* &c. & enarratione in Psal. 127. *Jam incipit homo justè vivere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo timor à charitate, sed successit timor castus:* Ubi totus sequens contextus agit de desiderio premii cælestis. Similiter lib. de S. Virginitate cap. 38. solùm requirit à virgine timorem gehennæ & spem premii cælestis ad hoc ut sit sancta corpore & spiritu; ait enim: *Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii. Aliæ voces sunt, quo abibo à spiritu tuo; &, quo à facie tua fugiam, & aliæ voces sunt, unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini.... Has voces tu habeto, quæ sollicita es ea quæ sunt domini, ut sis sancta corpore & spiritu. Illis vocibus comitatur timor qui tormentum habet. His autem vocibus comitatur timor domini castus* &c.

92. Notandum 4. per timorem Dei & gehennæ sæpe intelligi nudum & infructuosum ac ignavum timorem, quo homo non sinit se trahi ad confugiendum ad misericordiam Dei, & detestandum peccata commissa, ac ea in posterum cavenda. Hunc timorem vocat S. Ambrosius supra num. 69. *Ignavam formidinem & hebetem metum.* De quo timore loquitur S. Augustinus in Psalm. 146. in fine: *BENE SENTIT DOMINUS IN TIMENTIBUS EUM. Sed numquid sic timetur Deus, quomodo & latro? Nam & latro timetur, & bestia timetur,*

timetur, & homo injustus & potens timetur multum. BENE SENTIET DOMINUS IN TIMENTIBUS EUM. Sed quomodo in timentibus eum? ET IN HIS QUI SPERANT IN MISERICORDIA EJUS. Ecce timuit eum Judas traditor Christi, sed non speravit in misericordia ipsius. Postea enim pœnituit eum, quòd tradiderit Christum, & dixit: peccavi, quia tradidi sanguinem justum. Bene quidem timuisti, sed si sperares in misericordia ejus quem timuisti. Ille desperando abiit, & laqueo se suspendit. Ergo sic time dominum ut speres in misericordia ejus.

Quidquid de hoc ignavo & hebeti timore (quem multi ex hoc loco vocant pœnitentiam Judę proditoris) dixerit Augustinus, nihil ad nos; nam talis timor nullo modo est attritio, de qua disputamus: agimus enim juxta dicta num. 13. de timore, qui cum effectu movet ad confugiendum ad divinam misericordiam, ad deprecandum de prętetitis, & proponendum non peccare in posterum. Talem autem timorem non tantùm commendat hoc loco Augustinus, sed & asserit eodem placari Deum, subdit enim: *placabis eum, si speres in misericordia ipsius, atque ita de cætero peccare caveas, ut de præteritis depreceris, ut tibi dimittantur.* Quæ omnia reperiuntur in nostra attritione. De eodem ignavo timore intelligi debet Augustinus, quando dicit non esse magnum timere pœnam, quia etiam nequissimus & crudelissimus latro pœnam timet. Certum enim est latronem illum, qui timore pœnæ & spe veniæ à Principe impetrandæ statueret desistere à latrocinio, & unicuique ablata restituere, vocari non amplius posse nequissimum latronem; agit ergo de eo, qui timet quidem, sed non patitur se trahi illo timore ad emendationem &c. adeoque non loquitur de timore in sensu nostro. Et hinc facilis erit explicatio multorum, quæ ex illo objici possunt.

93. Similiter D. Augustinus per timorem servilem quandoque intelligit nudum & ignavum timorem, quo sibi conscius peccati commissi timet ne jam jam instet finis vitæ & dies judicii. Per castum verò timorem, illum quo quis sibi benè conscius optet adesse horam judicii. Ita explicat ipse enarrat: in Psal. 127. *Videat unusquisque qualem timorem habeat, an eum quem excludit charitas, an castum.....absens est sponsus noster, interroga conscientiam, vis ut veniat, an adhuc vis ut tardet? quam multi si dicatur illis; ecce jam Christus, cras dies judicii; non dicunt, utinam veniat. Qui enim dicunt, multum amant; & si dicatur illis, tardabit, timent ne tardet, quia timor castus est.* Huic loco sic intellecto optimè quadrat simile, quod tum hic, tum sæpe alibi adfert Augustinus de duabus fœminis, quarum altera adultera, casta altera; hæc timet ne discedat vir, illa ne redeat; quia nempe conscia est commissi adulterii. Vel si uterque vir sit absens, casta timet ne tardet, adultera ne veniat. Et hic rursus non est timor is, de quo agimus: *aliud est enim timere quia peccaveris, aliud timere ne pecces.* Ut rectè Ambros.

94. Notandum quintò. Plurima D. Augustini testimonia explicanda

de timore quem vocamus serviliter servilem, nempe dum quis habet hunc affectum (qualem sæpe habent servi) vellem facere peccatum, nisi obstaret pœna. De tali servili timore agit manifestè S. Augustinus Tract. 9. in Epist: Joannis, ex quo loco, quia sæpe argumentantur adversarii; necesse duxi, quamvis longiorem, huc transcribere: sic autem ait: *Non potest melius explanari, quid intersit inter duos istos timores, unum quem foras mittit charitas, alterum castum; nisi ponas duas mulieres maritatas, quarum unam ita constituas volentem facere adulterium, delectari nequitiâ, sed timere ne damnetur à marito. Timet maritum, sed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum; huic non grata, sed onerosa est viri præsentia. Et si fortè vivit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales sunt qui timent ne veniat dies judicij. Fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, & nullâ se adulterij immunditiâ maculare, optat præsentiam viri. Et quomodo discernuntur duo illi timores? Timet illa, timet & illa. Interroga, quasi unum tibi respondent. Interrogetur illa, times virum? timeo. Interroga & illam si timet virum: respondet, timeo. Vna vox est, sed diversus animus: jam ergo interrogentur quare: illa dicit, timeo virum ne veniat, ne damner: illa, timeo ne deserat. Pone hoc in animo Christianorum, & invenisti timorem, quem foras mittit charitas: & alium timorem castum. Loquamur ergo huic primo, qui sic timet Deum, quomodo illa mulier, quam delectat nequitia: talibus enim primò loquimur; O anima, quæ sic times Deum quomodo illa mulier, quam delectat nequitia, timet virum.... & quid dicimus fratres? Illa mulier quæ ideo timet virum, ne damnetur à viro, fortè non facit adulterium, ne aliquo modò perveniat ad virum, & tollat ipsi lucem istam temporalem. Potest autem vir ille & falli: Timet illa eum, extra cujus oculos potest esse: tu non times semper faciem supra te viri tui? VULTUS AUTEM DOMINI SUPER FACIENTES MALA. Captat illa absentiam viri sui, & incitatur fortè delectatione adulterij, & dicit sibi, tamen non faciam; absens est quidem ille, sed difficile est, ut non ad illum quoquo modo perveniat. Temperat se ne perveniat ad hominem, qui potest & nescire, qui potest falli. Tu non times oculos ejus, quem fallere nemo potest? Tu non times ejus præsentiam, qui averti à te non potest?* Augustinus hoc loco per timorem servilem seu non castum intelligit similem illi, quem habet ista conjux, quæ de facto delectatur adulterio, velletque committere; sed solo cohibetur timore ne faciat; adeoque agit de homine qui cuperet non esse gehennam, ut tunc liberè peccaret. Neque dici potest, quod Augustinus ita loquatur de eo, qui dum timet habet internum affectum ad peccatum; non quòd in illo sit quid peculiare; sed quia supponit ita semper fieri, quoties quis movetur spiritu timoris gehennę aut judicii: hoc inquam dici non potest; nam inepta esset illa Divi Augustini oppositio, quòd nempe uxor; quę adulterinum, quem fovet, animum opere non explet per hoc virum timeat; ille autem qui interius peccat, Dei faciem, oculos, præsentiam omnia perlustrantis non timeat, male assereret illum non timere Deum, si timor à peccato etiam interno cohibere non possit. Dum

ergo

ergo dicit talem non timere, manifestè ostendit, posse etiam illum actum internum timore comprimi & excludi. Agit ergo de timore inefficaci, & ignavo ac hebeti, & sic rectè quadrat reprehensio D. Augustini, quòd, cum uxor virum timeat, & ex timore caveat ea, quæ possunt ipsi innotescere, homo non formidet peccare coram oculis Dei, adeoque Deum non timeat, vel non satis timeat. Et juxta hæc explicari possunt & debent plurima hujus Patris testimonia ab adversariis congesta, & præsertim illa, in quibus, ut sæpe facit, expressè addit, quòd timentes habeant affectum peccandi, si pœna gehennæ esset sublata: item illa omnia in quibus adfert idem hoc simile de duabus matronis altera casta, altera adultera: & hac explicatione utuntur Doctores passim omnes.

95. Notandum sextò D. Augustinum etiam admittere, cum timore servili stare posse peccatum externum. Nam in Psal. 90. ita ait: *Ne incurrerent legis* (veteris) *reatum, missus est Spiritus S. ut amorem faceret, & solveret à timore. Timor legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines, & non impleverunt, amaverunt & impleverunt. Timebant homines, & rapiebant res alienas: amaverunt & donaverunt sua* Ecce peccatum externum, quod juxta Augustinum stat cum timore servili, seu legis veteris; adeoque fateri debent etiam adversarii illum hoc loco agere de timore inefficaci & ignavo, ex quo non parum confirmatur quod diximus à num. 92.

96. Notandum septimò. Quando Augustinus requirit charitatem, amorem justitiæ, boni & similia, gratis id explicari ab adversariis de amore Dei propter se dilecti seu amore benevolentiæ. Certissimum enim est apud illum sæpe usurpari charitatem, amorem boni &c. pro actibus, qui non sunt amor benevolentiæ in Deum, sed amor cujuscumque demum virtutis. Patet id ex libro 4. contra Julianum cap. 3. ubi cum dixisset: *Amor fruendi quibuscumque creaturis, sine amore creatoris, non est à Deo. Amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo... sine hoc amore creatoris, nullus quisquam bene utitur creaturis.* Subjungit: *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum fit, & pudicitia conjugalis, ut sit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propagationis.* Ecce juxta Augustinum opus conjugale fit ex amore Dei seu charitate, quando fit ex intentione procreandi prolem qui est finis honestans copulam conjugalem. Idem patet ex Tract. 9. in epist. Joannis in fine, ubi per diligere Deum intelligit dilectionem proximi, & aliorum mandatorum divinorum observationem. Neque id diffiteri videtur P. Lupus; nam cum pag. 11. de dilectione Dei dixisset: *Sine hac nullam impleri legem, nullum servari divinum mandatum, nullum mentis nostræ opus aut motum esse quemadmodum oportet bonum, clamat assiduè Augustinus.* Postea tamen pag. 18. & 19. asserit ad bona opera, & divinarum legum impletionem sufficere amorem Dei virtualem, quem negat sufficere in dolore

tore de peccatis: non explicat tamen quid intelligat per amorem virtualem. Verùm quomodocumque demum id intelligat; in hoc pro nobis facit, quòd sicuti ipse, dum Augustinus pro quovis bono motu requirit dilectionem Dei, explicat de amore virtuali, non autem de expresso & formali, eâdem explicatione uti nobis liceat, quando pro pœnitentia dilectionem Dei requirit. Imo sicuti ipse explicat de virtuali in suo sensu, ita nos de virtuali in sensu nostro & S. Augustini proximè explicato.

97. Notandum octavò. Sæpe intelligi posse Augustinum de periculo, quod in magnis præsertim peccatoribus meritò timetur, ne dum timent, pœnam, non timeant satis efficaciter, adeoque in animo maneat prava affectio ad peccatum. Hunc sensum præferunt verba illa ex sermone 19. de verbis Apost: *Audeo dicere; si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides quia credis futurum Dei esse judicium: gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ.* Eodem modo intellige illud ex sermone 15. de verbis Apost: *Non furatur, non adulteratur, non dicit falsum testimonium, non facit homicidiū, non concupiscit rem proximi sui. Potest hoc, potest fortassis. Unde? timore pœnæ: quamquam qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit.* Quæ horum verborum explicatio planior est quàm illa, quam dat P. Lupus pag. 70. distinguens duplicem peccati cupiditatem, patentem aliam & positam quasi in cordis superficie (puto sicut scyphus in sacco Benjamini) aliam in cordis profundo ac intimo recessu occultatam & latentem. Mirum, unde adeo occultam P. Lupus præ aliis deprehenderit.

98. Notandum Nonò. Sæpe tantùm velle Augustinum, quod minus perfectum sit, detestari peccata ex motivo pœnæ, quam ex amore justitiæ aut Dei; quòd sic minus perfectè recedatur à malo &c. Ita ipsemet serm. 19. de verbis Apost. *Nam etiamsi timore gehennæ non facis malum, nondum perfectus es.* Duæ etenim sunt justitiæ & perfectionis Christianæ partes, declinare à malo, & facere bonum; licet autem ex timore pœnæ declinetur malum; ex illo tamen non potest fieri bonum: vide num. 70. Et rursus libro de S. Virginitate cap. 38: *Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfecta charitatis.* Ubi obiter adverto D. Augustinum per perfectam charitatem hoc loco non videri intelligere amorem Dei; subjungit enim immediatè: *Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii: aliæ voces sunt; quo abibo à spiritu tuo, &, quo à facie tua fugiam; & aliæ voces sunt; unam petii à Domino, hanc requiram ut inhabitem in domo Domini*, Quæ incongruè subnexuisset per particulam enim, si per charitatem significare voluisset actum amoris in Deum. Porro familiare est Patribus præsertim in sermonibus directis ad eos, quos ad perfectiorem vitam instituunt, minus perfecta, tamquam aliquo modo mala, repudiare.

99. Notandum Decimò Perperam nobis objici illa testimonia D. Augustini, in quibus dicitur, quod metus gehennæ concupiscentiam dumtaxat compescat,

pescat, liget, reprimat, frænet & similia, non autem sanet &c. Quid enim aliud sonant illæ voces compescere, reprimere, frænare concupiscentiam, quam huic resistere ac repugnare? Quare quemadmodum is, qui exortis concupiscentiæ motibus & desideriis indeliberatis non consentit, verè iis resistit, & ab omni peccato liber est, prout constat ex Tridentino, & fateri debent omnes Catholici: sic quoque à peccato liber erit, qui eosdem concupiscentiæ pravos motus compescit, ligat, reprimit, frænat. Sicuti enim passim dicimus in Adamo fuisse frænum, ligamen concupiscentiæ, quia munere Dei speciali in illo continebatur seu compescebatur concupiscentia, ne exurgeret contra aut præter voluntatis imperium: sic quoque in nobis rectissimè dicitur compesci, reprimi, frænari concupiscentia, dum ex timore gehennæ illius pravis motibus indeliberatis non consentimus.

100. Atque harum explicationum quælibet longè minus torta est & violenta, quam sit ea quàm adhibere coguntur adversarii. Unde hac vel simili ratione exponendus est S. Augustinus, ne cum Tridentino, & communi Patrum ac Doctorum sensui, ac ipsi rationis dictamini cogamur oppositum fateri. Et sane licet aliqua in illo reperirentur loca explicatu difficilia saltem in speciem, hoc non obesset nostræ sententiæ. Cum etiam contra puncta ab Ecclesia definita, ut in materia libertatis, gratiæ, Eucharistiæ &c. Passim objiciantur ex Augustino testimonia saltem in speciem difficilia.

Alias præterea Auctoritates adfert P. Farvacques

1. Ex Ambrosio lib. 8. in Lucam cap. 17. *Infirmus custos diuturnitatis est timor; pudor vero bonus magister officii; qui enim metuit, reprimitur, non emendatur.*

2. Ex S. Gregorio lib. 1. Moral. cap. 11. *Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat: cui tunc est funditus à malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum verò adhuc timore bona agit, à malo penitus non recessit.*

3. Ex D. Thoma 2. 2. q. 19. art. 9. *Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus S. licet sit à Spiritu S. quia, ut Augustinus dicit libro de natura & gratia, potest habere annexam voluntatem peccandi.*

101. Ad S. Ambros. non est opus respondere, sed tantùm adferre ejus contextum. In illud autem: *Si peccaverit in te frater tuus increpa illum*: ita commentatur: *Plus proficit amica correptio, quam accusatio turbulenta; illa pudorem incutit, hæc indignationem movet. Servetur potiùs quod prodi metuat, qui monetur. Bonum quippe est, ut amicum magis te, qui corripitur, credat, quàm inimicum; faciliùs enim consiliis acquiescitur quàm injuriæ succumbitur &c.* ac subjicit: *infirmus enim custos &c.* Monet hic Ambrosius quod is, qui corripit fratrem, plus profecturus sit, si peccanti amicum se ostendat & amicè corripiat, ut sic alteri pudorem incutiat, & metum, ne prodatur peccatum. Quod si autem turbu-

lentè & cum injuria reprehendat, in promptu esse ut monitus indignetur, & injuriam injuriæ rependat. Quid hinc quæso inferri potest quo vel in speciem probetur, quod timor gehennæ aut spes præmii cœlestis non excludat positivè peccatum, quod ad id necessarius sit amor amicitiæ in Deum? Quid quęso pudori, quo conceptus metuit sua peccata prodi, commune est cum amore amicitiæ &c?

102. Ad S. Gregorium Resp. ipsum illic agere de timore inefficaci & ignavo juxta dicta num. 94. Subdit enim: *Eo ipso peccat, quo peccare vellet, si peccare inultè potuisset.* Porro mens hujus Patris manifesta est ex iis, quæ attulimus supra num. 66. & seqq. Adde quod eodem illo capite, ex quo petuntur verba contra nos allata, ea dicat de spe, quæ nostræ sententiæ favent contra adversarios.

103. Ad D. Thomam Resp. id non facere contra nos, fatemur enim dari posse timorem servilem, qui habeat annexam voluntatem peccandi, talis esset, quo timeretur pœna ut summum malum, ita ut quis ad eam vitandam velit peccare: & hic est timor strictè servilis. Porro quia dari potest talis timor servilis, negat D. Thomas timorem servilem enumerandum inter septem dona spiritus S. Præter illum autem datur alius timor servilis non ita timens pœnam ut ad eam evadendam velit peccare, sed quo propter malum, quod timet, simpliciter vult omne peccatum ejus mali causam vitare, licet ad hoc vitandum nondum feratur amore justitiæ. Et talem agnoscit D. Thomas ibid. art. 7. in corpore: *Quantum ad effectum, initium sapientiæ est, unde sapientia incipit operari, & hoc modo timor est initium sapientiæ. Aliter tamen timor servilis, & aliter timor filialis: Timor enim servilis est sicut principium extra disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore pœnæ discedit à peccato.* Hanc responsionem adhibet Sylvius in quęst. citatæ art. 4. & 9. aliique passim.

CAPUT VI.

An timor gehennæ, & dolor peccati inde conceptus bonus sit & honestus.

UT clarius intelligatur, quænam circa hoc fuerit doctrina Lutheri, eam per partes proponemus.

104. Primò igitur generaliter asseruit Lutherus, quidquid liberum arbitrium agit sine charitate, peccatum esse, ex quo consequens est etiam dolorem ex puro metu gehennæ seclusa charitate peccatum esse, secundum illam nempe rationem generalem privationis charitatis. Constat id ex Eckio & ex ipso Luthero variis locis, quæ superfluum esset adferre, cum adversarii planè contendant Lutherum ita docuisse.

105. Secundò Lutherus agens de dolore peccati ex metu gehennæ considerato juxta specificam & sibi propriam rationem, dixit illum facere hominem hypocritam & magis peccatorem: quod tamen Lutherus non intellexit de timore secundum se spectato, & ratione sui, sed ratione actus à metu inseperabilis, qui nempe sit affectus inefficax ad malum, odium legis, & justitiæ displicentia quòd non liceat peccare &c. ut ostensum est ex ejus verbis num. 32. & 33.

106. Tertiò metum servilem passim agnoscit non esse malum, si adsit amor justitiæ vel Dei. Sic in disputatione Lipsica ad loca Patrum, quibus Eckius probabat bene & laudabiliter inchoari pœnitentiam à timore: respondet Lutherus: *Dico & ego habita charitate simul moveri hominem ad timorem Dei, & sic incipi pœnitentiam à timore in charitate. Alioqui stat firma sententia, quod timor bonum non operatur, sed odit legem.* Et rursus infra: *Respondeo, quòd D. Gregorius non debet excludere charitatem, nec exclusit à timore incipiente pœnitentiam, sicuti D. Doctor intelligit, sicut nec à charitate excluditur omnis timor servilis præsertim in hac vita, cum charitatis officium sit expellere timorem servilem, atque id totâ vitâ..... Scopus iste versatur, quod auctoritate Pauli timor servilis non possit esse nisi peccatum, & augere peccatum, si desit gratia....... Quod autem Augustinus dicit, bonus est timor: verum est, si includatur gratia..... Non accipit* (Eckius) *quod dixi gratiam prævenire & timorem & amorem, nisi loquar de gratia primæ motionis. Ego cum Apostolo & Augustino sentio, quod nisi lex diligatur* (*quod est charitatis*) *non bene vivitur, ergo nec Deus timetur nec colitur..... Respondeo Ambrosium, Gregorium aliosque non repugnare dictis Apostoli, & sic eorum sententiæ. Non enim excludunt charitatem à timore sive servili, sivè filiali.*

Quidquid ergo dicebat Eckius de bonitate timoris servilis, admisit Lutherus, si intelligatur de timore, qui conjunctus sit charitati; quod si ab hac separetur, illum reprobat duplici ex capite 1. ratione actus inefficacis mali necessariò conjuncti. 2. ex generali illa ratione, qua omnis actus, qui pro motivo non habet charitatem, malus est.

107. Consentit Jansenius Tom. 3. lib. 5. cap. 31. *facilè apparet animum, qui solo pœnæ timore, nullo Dei aut justitiæ amore peccatum vitat, non hoc ita vitare posse, ut omni ex parte peccatum caveatur. Nam præterquam quod eo modo voluntate reus est, quo supra ex Augustino diximus, quatenus invitus est, malletque facere nisi pœna terreret; ex alia quoque consideratione labem contrahit, quatenus pœnas timendo in sui-ipsius amore requiescit, cujus malum ita formidare, sicuti bonum appetere debuisset, ut in utroque affectu seipsum referret in Deum..... quod qui non in omnibus actibus & affectibus suis facit sine dubitatione delinquit.*

Nec refert quod cap. 21. in titulo dicat: *Timor gehennæ secundum se consideratus licitus, bonus, rectus est.* Quod in decursu probat tum ex Augustino, tum ex ratione, addens nullum sanæ mentis id negaturum. Verum qualem bonita-

bonitatem timori gehennæ attribuat, patet ex sequentibus: *Non enim qui pœnam timet, hoc ipso excludit à sua voluntate debitum finem ultimum. Quapropter si quis in pœna fugienda velut in termino hæreat, per quam tamquam viam transire debuisset, non illa timoris, sed timentis culpa est...... qui in illa commoratur, nullius alterius malitiæ adjunctione delinquit.* Addit exemplum de potus cibique sumptione, quæ secundum se damnanda non est, licet in ea peccetur, quando non apponitur finis charitatis, quem apponi lex Dei æterna jubet.

Censet ergo Jansenius actum, qui sistit ultimatè in timore seu fuga gehennæ, esse simpliciter malum; timorem tamen gehennæ secundum se seu abstractivè & genericè consideratum non esse malum, cum bonus sit timor quando in eo non sistitur, sed refertur ulterius in Deum. Sive vult timorem servilem esse bonum, quatenus est timor gehennæ, esse autem malum in quantum servilis est, seu sine amore Dei. Cur non similiter dicit odium Dei esse bonum, quatenus odium est, non autem quatenus Dei, cum similiter dari possit aliquod aliud odium, quod bonum sit? cur non dicit hominem, quatenus animal, esse brutum &c? quæ omnia absurdissimè dicuntur, nam dum actus in solo timore sistens consideratur præcisè quatenus est timor gehennæ, spectatur sola ratio generica timoris gehennæ, quæ indifferens est ad bonum & malum, adeoque sub illa ratione nec bonus est nec malus, sed malus erit, si determinetur ut sit servilis, bonus vero si determinetur ut sit filialis.

108. Examinemus modo, quænam in hoc puncto sit mens P. Lupi. Actus 1. quidem dolorem ex solo metu gehennæ ab eo reprobari ratione actus necessariò & inseperabiliter conjuncti, quatenus adest voluntas malè agendi, si pœna abesset, patet ex dictis num. 26. & seq. atque adeo admittit malum esse talem metum quasi extrinsecè, ratione actus mali adjuncti, quod, ut vidimus, asserit Lutherus. Videamus ergo quid censeat de altero capite, unde hujus actus malitiam desumebat Lutherus. P. Lupus pag. 68. ita loquitur: *Prima hujus timoris imperfectio, est imperfectio seu vitium radicis: oritur enim non ex casto Dei seu justitiæ, sed ex mercenario amore sui ipsius, quo homo sibi bene vult esse, non solum in hac vitâ, sed etiam in futurâ. Porro sui ipsius amorem, quo homo non in Deo, sed in se ipso sistens diligit, esse FONTEM IMPURUM, ET OMNIS DISTORTI AFFECTUS PRIMAM RADICEM, est unum è fundamentis doctrinæ Catholicæ & Augustinianæ.* Hoc loco timorem gehennæ reprobat ex alio capite, nempe ex ipso actus motivo: quia sistit in amore sui, non autem in Deo tamquam motivo: talem autem sui amorem vocat fontem impurum, & omnis distorti affectus primam radicem. Atqui actus, de cujus bonitate hic disputamus, est is, qui sistit in timore, adeoque cui ex suis intrinsecis convenit, quod pro motivo habeat amorem sui, & non Dei propter se dilecti. Ergo juxta P. Lupum ille actus secundum se & sua intrinseca consideratus, habet

habet impurum motivum, estque affectus distortus seu malus. Illum ipsum amorem sui malum pronuntiat pag. 20. ubi agens de eo qui Deum amat ut sibi bene sit, ita loquitur: *Non castam benevolentiam, sed IMPURISSIMAM AVARITIAM & CONCUPISCENTIAM esse istiusmodi dilectionem, ostendit eleganter in libris de vita contemplativa Julianus Pomerius: Qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum amare convincitur, sed commodum. Et ideo Deus, quo nihil majus aut melius, propter quid diligitur? propter seipsum perfectè diligitur. Si vero saltem propter illa, quæ præstat, amatur, non utique gratis amatur, quia jam illud, propter quod diligitur, ei, quod DICTU quoque NEFAS est anteferetur.*

Quod idem rursus timori gehennæ applicat P. Lupus pag. 71. *Gehennæ metus ex proprio sui-ipsius amore nascitur, adeoque qui ob illam solam, & non Christum Dominum à gravi peccato abstinet, non solummodo plus illam timet, sed & seipsum supra Dominum diligit: quod esse etiam COGITATU HORRENDUM, supra nobis Julianus Pomerius dixit.* Ecce quia desiderium vitæ æternæ & timor gehennæ, si in illis motivis sistatur, nascitur ex amore sui-ipsius, ideo qui sic sperat vel timet, seipsum supra Dominum diligit: hoc autem est *dictu nefas & cogitatu horrendum*, est *turpissima avaritia & concupiscentia*, ut cum suo Juliano pronuntiat P. Lupus. Atqui nasci ex amore sui-ipsius essentiale est actui de quo disputamus, ergo hic actus juxta P. Lupum ex suis intrinsecis non tantùm malus est, sed & insigniter malus, id enim sonant illa verba; *dictu nefas, cogitatu horrendum* &c.

109. Verùm dices P. Lupum sæpe repetere metum gehennæ esse utilem, bonum, sanctum, imo Lutherum temeritatis incusat, quòd eumdem pronuntiarit malum. Ita enim loquitur pag. 73. *Fundat se Martinus Lutherus in Sancto Augustino, palam asserente, servilem gehennarum metum esse proprii, lucidè vitiosi amoris fœtum, ideoque vult illum non posse non esse vitiosum. Neque hîc stetit hominis temeritas..... Metum purè servilem, non tantum utilem, sed etiam bonum, audivimus supra à Sancto Thoma & S. Augustino, qui omnino nusquam eum dixit peccatum, malum, vanum, aut vitiosum,* & pag. 75. *Gehennæ metum, uti sanctum & Dei donum, laudari vario S. Augustini & aliorum Patrum testimonio novi.* Denique Pag. 82. *Hinc conceptam ex metu servili contritionem esse legitimam, sanctam ac veram non est ambigendum: & hinc Julianus Pomerius, servilem gehennæ metum dicens esse in vitio, non est bene locutus.* pag. 74.

110. Quomodo hæc consistunt? metus purè servilis utilis est & bonus, sanctus ac Dei donum; contritio ex metu servili concepta sine dubio legitima, sancta, ac vera est. Quomodo inquam hæc consistunt cum iis, quæ supra ex eodem auctore retulimus, nempe quòd dilectio, qua quis Deum amat, ut sibi benè sit vel non malè, sit *turpissima avaritia & concupiscentia*, quod per illam proprium commodum anteferatur Deo, quod *dictu quoque*

nefas est; quod aliquid supra Deum diligatur, quod est etiam *cogitatu horrendum*. An forte id, quod bonum ac sanctum est, potest simul esse turpissima avaritia & concupiscentia, dictu nefas, & cogitatu horrendum?

111. Rem perplexam duce Jansenio nobis evolvet P. Lupus dum pag. 74. de eodem actu pronuntiat *esse licitum, bonum, irreprehensibilem, at solo officio & substantiâ, non fine & radice. Nec enim est propter Deum, sed propter proprium sanguinem; Neque ex casto Dei, sed ex privato sui amore procedit.* Et rursus pag. 75. postquam dixerat, timorem gehennæ ab Augustino laudari, ut sanctum & Dei donum; pro ratione seu explicatione subnectit: *Nempe non omnis istius mali metus est servilis; aliquis etiam castus est, qualis fuit in Adamo ante lapsum, & in multis postea sanctis, timentibus illud, non quia ipsis durum sit, sed quia intellectualis creaturæ à naturali ejus fine separativum.* Mira responsio.

Controvertitur an metus gehennæ servilis, id est qui ultimatè sistit in timore illius pœnæ, sit bonus nec ne, & ipse P. Lupus capiti 15. hunc præfigit titulum: *An ob istas imperfectiones servilis gehennæ metus sit peccatum?* & respondet non esse peccatum, sed esse bonum, sanctum, ac Dei donum, quia nempe datur aliquis alius metus gehennæ, qui non sit servilis, sed ultimatè referatur in Deum; hic autem bonus est & sanctus. Simile sane foret responsum, si duobus hoc primùm mense legitimè matrimonio junctis, rogantibus, an copula quam inter se habuerunt ante annum mala fuerit & peccaminosa; responderem, illam copulam non esse peccaminosam, sed licitam, bonam, irreprehensibilem: ejusque tam solidæ resolutionis æquè solidam nempe rationem adjungerem, quia datur inter vos aliqua copula, quæ bona est & irreprehensibilis, ea nimirum quæ fit ex debito fine constante jam inter vos matrimonio. Neque necesse est extra materiam de qua agimus argumentum petere. Sit aliquis qui affirmet metum gehennæ castum & filialem malum esse & peccaminosum. Id negare non poterit P. Lupus: nam eodem modo alter pro ratione adferet: nempe non omnis istius mali metus castus est & filialis, aliquis etiam servilis est, qualis est in iis, qui gehennam timent, quia ipsis dura est; non autem quia intellectualis creaturæ à naturali ejus fine separativa.

112. Quæro ergo: an metus gehennæ servilis sive qui sistit in timore pœnæ, nec assurgit ad Deum diligendum; an inquam hic specificus actus bonus sit nec ne? si dicas malum esse; quid Lutherum reprehendis illum actum vitii damnantem? ut quid pronuntias malè locutum esse Julianum? Si vero admittas esse bonum: malè igitur asseruisti, esse *turpissimam avaritiam & concupiscentiam*; malè quod per illum ipse timens *se Deo anteferat*; id autem esse *dictu nefas & cogitatu horrendum*; malè quod sit *bonus solo officio, non fine*.

113. Evidens igitur est, P. Lupum omnino affirmare, timorem servilem malum esse & peccaminosum, nec nisi fictam ac chimæricam ei bonitatem

tatem

tatem attribuere, nempe non aliam, quam hoc sensu, quod detur actus timoris gehennæ filialis, qui bonus sit. An non vidit, eodem sensu timorem gehennæ filialem vocari posse malum, quia datur ejusdem gehennæ timor qui malus sit? cur enim non æquè actus ab opposito actu malo appellari possit malus, quàm alter ab opposito bono bonus. Quod quid aliud est, quam omnia confundere, & bonum appellare malum, & malum bonum. Nihil aliud ergo his agit P. Lupus, nisi ut cum maximè asserat timorem servilem esse malum, videatur tamen apud ignaros bonum asserere. Cæterum quam à S. Augustino dissideat P. Lupus, dum actum, quem fatetur solo officio bonum esse, non autem fine, appellandum nihilominus censet bonum, ex ipso Augustino discamus. Hic lib. 4. contra Julianum cap. 3. ante medium ita eum redarguit. *Noveris itaque non OFFICIIS, sed FINIBUS à vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est: finis vero, propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, PECCARE convincitur. Quæ tu non attendens, FINES ab OFFICIIS separasti, & virtutes veras OFFICIA sine FINIBUS appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur &c.* Et rursus post pauca: *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere, vera sapientia præcipit, IPSO NON RECTO FINE PECCATUM EST.* Audis? *ipso non recto fine peccatum est*: quomodo ergo asseris, Augustinum omnino nusquam timorem servilem vocare peccatum, si verum est, quod ais; illum non esse bonum fine, sed solo officio?

Lutherus igitur timorem gehennæ servilem malum existimavit duplici ex capite, nempe & ratione actus concupiscentiæ necessariò conjunctæ; & quia ille actus caret debito fine. seu non refertur in Deum: ex quo utroque capite malum agnoscit P. Lupus.

114. Notandum: licet Lutherus in timore servili non aliam agnovisset malitiam, quàm extrinsecam illam ratione actus mali inefficacis necessariò conjuncti, non adeo incongruè fuisset locutus, si eapropter ipsum timorem servilem appellasset malum. Nam teste Andrea Vega libro 6. de justif. cap. 25. multi Catholici Auctores tradiderunt tunc vitiosum esse timorem servilem, quando ei adest hic actus: nollem implere præceptum, nisi immineret pœna. Ipse tamen Vega negat timorem etiam tunc dicendum vitiosum, quia, inquit, & in se bonus est, nec est causa hujus voluntatis malæ. In sententia autem asserente affectum illum malum necessariò comitari timorem gehennæ, non apparet quomodo dictus timor non sit aliqua ratione causa pravæ illius voluntatis.

115. Assert. 1. Non est peccaminosum, sed bonum & honestum, intuitu æternæ mercedis sistendo in illo motivo, detestari peccata, aut mandata Dei observare.

Prob.

Prob. 1. ex scriptura, quæ passim homini proponit præmium cæleste ut bene operetur, monetque ex hoc motivo operari, ostenditque Sanctos illius intuitu operatos. Matth. 6. *primum quærite regnum Dei &c.* Lucæ 16. *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Simile est illud Apost. 1. ad Corint. 9. *debet in spe qui arat arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi*; Christus prædicationem exorsus est à spe præmii Matth. 4 v. 17. & cap. 5. v. 2. sic inchoavit Joannes Matth. 3. v. 2. Ab eodem jussit Christus inchoare Apostolos Matth. 10. v. 7. hoc intuitu operati sunt viri sancti; David Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendum justificationes tuas propter RETRIBUTIONEM.* Moysis ad Heb. 11. *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in REMUNERATIONEM.* Paulus ad Philipp. 3. *ad destinatum persequor ad bravium supernæ vocationis.* 1. ad Corint. 9. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ad Coloss. 1. *Gratias agimus Deo audientes fidem vestram & dilectionem, quam habetis in sanctos omnes, propter SPEM quæ reposita est vobis in cælis.*

116. Prob. 2. ex Tridentino sess. 6. can. 31. *si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur; Anathema sit.* Porro hic canon, ne aliàs imperfecta sit doctrina & captiosa, intelligi debet de eo, qui operatur intuitu solius mercedis æternæ, nam cum is qui hoc solo motivo operatur, propriissimè dicatur operari intuitu mercedis; si hic peccaret, quomodo posset Tridentinum dicere anathema asserenti justum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur.

117. Prob. 3. ex Patribus. S. Augustinus exposit: in Ps. 120. *Quid est, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua? id est, quando facis opus bonum, PROPTER VITAM ÆTERNAM FAC..... noli facere nisi PROPTER VITAM ÆTERNAM: ideo fac & securus facies: hoc enim mandavit dominus.* Et sermone 19. de verbis Apost: agens de æterna beatitudine ait: *Ecce PROPTER quam VISIONEM fac bonum. Ecce PROPTER quam VISIONEM noli facere malum.* Adfert etiam Vega aliique sequentia ex Augustino. *Non faciamus aliquid nisi spe cælestium præmiorum, ipsa est enim altitudo, non hîc quærere mercedem, sed sursum.* Sed loco ab illis indicato, nempe in Ps. 14. dicta verba minimè reperiuntur.

118. S. Cyprianus in epist. ad Moysen & Maximum presbyteros: *Nec mors metuitur, sed optatur, quæ scilicet immortalitatis præmio vincitur, ut vitæ æternitate, qui vicerit honoretur. Qui nunc in vobis animus, quàm sublime ac capax pectus, ubi talia ac tanta volvuntur. Ubi non nisi præcepta Dei & Christi PRÆMIA cogitantur, voluntas est illic tantum Dei; & in carne adhuc licet vobis positis, vita jam vivitur non præsentis sæculi, sed futuri.*

119. S. Gregorius. Homil. 13. in Euang. *Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquod sine castitate. Sed si utrumque agitur, restat ut*

quisquis

quiſquis ille eſt SPE AD SUPERNAM PATRIAM tendat, & nequaquam ſe à vitiis pro mundi hujus honeſtate contineat.

Et Hom. 25. in Evang. *Nec hæc agentes retribui nobis bona præſentia requiramus, nam pro labore patientiæ bona ſperanda ſunt ſequentis vitæ.... Tolerate ergo adverſarios veſtros. ÆTERNA PRÆMIA pro damnis temporalibus quærite.*

Denique in 1. Reg. lib. 5. cap. 2. in illa verba *Servite Domino &c. Cui nimirum in veritate ſervimus, quando ejus præcepta pro ſola SUPERNA RETRIBUTIONE perficimus.*

Richard. à S. Vict. libro 4. de contemp. cap. 10. *Ad hoc infunditur æternorum intelligentia, ut ſciamus, quid indeſeſſè debeamus per ſtudium quærere, vel per deſiderium ſuſpirare.*

120. Prob. 4. ratione: licitum & bonum eſt, in ſuis actionibus ſpectare & intendere finem illarum à Deo propoſitum, & ad hunc media referre: Atqui finis fidei & operum bonorum eſt vita æterna: Ad Rom. 6. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.* 1. Petri 1. *Reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum.* Ergo &c.

Deinde bene facit, qui frequentat ſacramenta, aliaque bona opera exercet, ut in ſe augeat gratiam ſanctificantem; ergo etiam qui ut aſſequatur gloriam æternam, quæ eſt gratia conſummata & perfecta. Et hæc omnia certa ſunt ex communi fidelium ſenſu.

Denique ex omnium DD. conſenſu datur virtus ſeu habitus Spei, diſtinctus, ab habitu ſeu virtute Charitatis, ergo etiã datur actus proprius Spei, qui non fit ex motivo Charitatis, & tamen bonus: nam virtutes diſtinctæ habent objecta formalia ſeu motiva diſtincta: objectum autem Charitatis formale eſt Deus, quà bonus in ſe; ergo Spei, quà bonus nobis.

Refert etiam Vega lib. 13. cap. 39. Bagaurium quemdam de Monte Falcone docuiſſe, nullum opus eſſe bonum, niſi fiat ex ſincero amore, quacumque ex cauſâ fiat, etiam ſpe mercedis æternæ: damnatumque fuiſſe cum ſuo errore à Sancio Archiepiſcopo Terraconenſi.

121. Aſſert. 2. Non peccat, ſed bene & honeſtè agit, qui peccata deteſtatur ex metu gehennæ.

Prob. 1. ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe: anathema ſit.* Hunc autem anathematiſmum de metu plenè ſervili intelligi fatetur P. Lupus pag. 77. vide etiam ejuſdem ſeſſ. cap. 6.

Et ſeſſ. 14. can. 5. *Si quis dixerit eam contritionem quæ paratur per deteſtationem peccatorum.... ponderando.... amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum.... non eſſe verum & utilem dolorem; anathema ſit.* Omnis autem verus & utilis dolor de peccatis bonus eſt ſine dubio & honeſtus. Unde Sylvius 2.2. q. 19. art. 4. ait; quod timor ſervilis bonus ſit & ad ſalutem

 perutilis,

perutilis; fide certum est, definitum in Tridentino.

122. Prob. 2. ex Patribus. Augustinus enarrat: in Ps. 127: *Timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam; BONUS EST ET ISTE TIMOR, UTILIS EST.*

Et sermone 18. de de verbis Apost. *Et cum timore te correxeris, & utiliter timere cœperis, non temporales cruciatus, sed æterni ignis supplicia* &c. & paulo infra. *Modo cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo. Quid dicturus sum? malè times? vanè times? non audeo; quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem, ubi dixit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, sed, eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam mittere in gehennam: ita dico vobis hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum comminationem ingeminaverit, dicturus ego sum, malè times istа? non dicam. Planè time, NIHIL MELIUS TIMES, nihil est quod magis timere debeas.*

Huc etiam facit quod habet lib. 1. contra Advers. legis & Proph. cap. 16. *Si ergo salubriter non solum bonitatem, verum etiam severitatem Dei S. Scriptura commendat: quoniam & amatur Deus utiliter & timetur.*

123. S. Gregorius in 1. Reg. lib. 5. cap. 2. in illud, *servite domino & timete eum in veritate:* ita loquitur: *Hæc quidem via bona & recta est, quia ad æternam vitam tendit & velociter pervenit. Per timorem quippe Domini devitantur mala.*

Hinc etiam Roffensis, Eckius, aliique, qui Lutherum sunt insectati, toti in eo fuerunt, ut ex Scripturis ac Patribus contra illum evincerent, timorem gehennæ bonum & laudabilem esse.

124. Prob. 3. quia ipsum naturæ lumen ostendit rationi maximè congruere, fugere summum malum, & quod non nisi per peccatum incurritur, & ad illud evadendum peccata vitare. Præterea cum actus, de quo agimus, positivè excludat omnem voluntatem peccandi, ut supra demonstratum est, non potest non esse bonus.

Nec refert quod ille actus pro fine habeat amorem sui & proprium commodum; neque enim omnis amor sui-ipsius malus est, sed datur aliquis bonus & ordinatus, ad quem nos adhortatur Scriptura Eccl. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate ejus.*

125. Atque hæc adeo manifesta sunt, ut Jansenius Tom. 3. lib. 5. cap. 21. asserat à Tridentino definiri, & ab Augustino tradi, timorem gehennæ bonum esse. Idem fatetur P. Lupus pag. 73. Sed Tridentino non satisfaciunt, dum hunc actum specificè sumptum malum & vitiosum asserentes, bonum appellant non alio sensu, quàm quia actus quidam alius specie ab illo distinctus bonitatem habet,

CAPUT VII.

An timor gehennæ, & dolor peccati inde conceptus, sit supernaturalis.

126. LUtherus in disput. Lipsica & alibi passim negat, timorem servilem esse ex gratia, adeoque & esse actum supernaturalem, ut patebit ex afferendis infra.

Idem negat Jansenius, qui Tom. 3. lib. 5. cap. 23. ait: *Hinc fit, ut quisquis ex divinæ legis pœnas comminantis timore præcepta justitiæ facit, non ex gratia Dei, sed ex propriis viribus ea implere velle censeatur. Nempe quia quamvis lex & pœnarum comminatio fit à Deo, non aliter tamen ea juvant, nisi cognitionem afferendo, quâ perceptâ si timore percellatur, propriæ voluntatis viribus facit, quidquid facit.* Et cap. 32. *Ex istis patet, cujusmodi sit animus & voluntas eorum, qui pœnas timent, & ex isto timore justitiam legis facere, & injustitias suas dolere, & abjicere meditantur. Patet etiam cujusmodi esse possit ista justitia.... nempe justitia sua, id est, propria, non Dei; justitia ex lege, non ex gratia.* Admittit tamen Jansenius cap. 23. citato timorem hoc sensu esse supernaturalem quod fidem supernaturalem supponat. *Timorem præcedit fides, quæ cum perspicuè Dei donum sit, sine dubio eatenus etiam timor pœnarum, quas sola fides apprehendit formidabiles, divinæ donationi deputandus est.*

127. Consentit P. Lupus., qui pag. 74. de timore gehennæ ita pronuntiat: *Humanus & carnalis est, non divinus & spiritualis, nec meritorius regni.... Hinc item laudatus timor, licet infusum ac supernaturalem fidei actum frequenter præsupponat, non est tamen ipse actus infusus aut supernaturalis.* Et pag. 75. *Addo etiam illum, qui fidem infusam præsupponit, non esse infusum aut supernaturalem. Quod enim non ex speciali Dei per JESUM Christum dono, sed ex proprio sui amore, adeòque ex puro libero arbitrio nascatur, est supra ostensum ex S. Augustino, & res ipsa clamat.* Et post pauca: *Licet porrò timor ille non sit infusus, est tamen à Deo immissus actus; quarum caussalitatum divinarum differentiam exponere, non spectat ad quæstionem præsentem.*

128. Assert. I. Actus spei est supernaturalis. Ita passim omnes DD.

Prob. 1. ex Tridentino, quod postquam sess. 6. c. 5. declaraverat exordium justificationis in adultis sumendum esse à Dei per JESUM Christum præveniente gratia, cui gratiæ consentiendo & cooperando peccatores ad justificationem disponuntur, deinde cap. 6. enumerans dispositiones ad justificationem, inter illas collocat Spem: *Disponuntur autem ad justificationem, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, ... in spem eriguntur.* Ex quibus sic licet argumentari: disponuntur ad justificationem cooperando gratiæ, dispositio

una inter cæteras est Spes, ergo hæc est cooperatio gratiæ, adeoque ex gratia. Idem indicat dum cap. illo 6. ante enumerationem dispositionum præmittit disponi; *dum excitati divinâ gratiâ & adjuti.* Porro Spes, de qua hic agit Tridentinum, non est illa, quam volunt adversarii esse ex motivo Charitatis, cum post Spem enumeratam subjungat synodus illam dispositionem, quâ Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, id est, ut explicant adversarii, Charitatem.

Et eâdem sess. can. 3. *Si quis dixerit sine prævenienti Spiritus S. inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; Anathema sit.* Quo loco manifestè supponit Synodus, tam actum Spei, quam Fidei aut Dilectionis, esse ex præveniente Spiritus S. inspiratione, id est supernaturalem.

129. Prob. 2. ex PP. *S. Ambros.* in epist. ad Rom. cap. 5. *Ecce enim copiosa merces vestra in cælo. Contemnere enim præsentia, & quæ oblectamento sunt, & in pressura non cedere spe futurorum, MAGNI MERITI EST APUD DEUM.* Si operari spe futurorum sit magni meriti, ergo actus spei est supernaturalis.

S. Gregorius in 1. Regum lib. 5. cap. 1. *Sed quia à Deo tentari permittitur, adventu ejus gratiæ ab utroque malo relevatur, dum contra tentationes lucem accipit, & per calorem advenientis spiritus abjicit frigus mentis: Incipit enim videre cælestia, qui levare mentem à carnalibus non valebat, &, quæ amanter aspicit, ardenter cupit.* Ecce adventus gratiæ & calor spiritus est videre cælestia, eaque ardenter cupere. Idem indicat ibidem cap. 2. *Deo nimirum in veritate servimus, quando ejus præcepta pro sola superna retributione perficimus.* Per actum quippe naturalem non servimus Deo in veritate.

S. Cyprianus libro de exhortat: Martyrii cap. ult. *Hæc* (nempe præmia cælestia) *oportet mente contemplari. Si talem persecutionis dies Christi militem invenerit, vinci non potest VIRTUS AD PRÆMIUM PROMPTA.*

130. Prob. 3. Quia datur habitus Spei supernaturalis distinctus ab habitu Charitatis; Ille autem esset frustraneus, nisi actus proprius Spei esset supernaturalis. Quo etiam argumento contra Lutherum utitur Roffensis ad art. 6.

Assert: 2. Timor pœnarum & detestatio peccati inde concepta est supernaturalis. In conclusione consentit ipse Estius in 4. dist. 16. §. 9. licet eam statuat insufficientem pro susceptione Sacramenti.

131. Prob. 1. ex Tridentino: nam cap. 6. inter dispositiones, ad quas excitat & adjuvat divina gratia, recenset *divinæ justitiæ timorem, quo utiliter concutiuntur.* Quo loco agi de timore secluso motivo charitatis, patet ex dictis num. 128.

Et sess. 14. cap. 4. *Illam vero contritionem imperfectam, quoniam ex gehennæ*

& pæ-

& pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat, non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem: verùm etiam DONUM DEI esse & SPIRITUS S. IMPULSUM, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Non poterat clariùs exprimere tàlis actus supernaturàlitatem.

Denique ejusdem sess. can. 5. definit illum actum præparare ad gratiam, nullus autem actus præparat ad gratiam nisi sit ex gratia seu supernaturalis, ut patet ex Arausicano, Tridentino &c.

132. Prob. 2. ex PP. Ambrosius in Ps. 118. serm. 8. in illud: *Particeps ego sum timentium te*, ait. *Non dixit imitantium, sed timentium. Initium sapientiæ timor Domini.... timere VIRTUTIS est, quia scriptum est: Timete Dominum sancti ejus. Sed quibus TIMOR iste non sanctus videatur?* Et libro de Jacob & vita beata: *Utique timor Dei de numero VIRTUTUM est, quia, initium sapientiæ timor Domini, per quem asciscitur piæ forma doctrinæ.*

S. Basilius in Psalmorum 33. timorem judicii & gehennæ salutarem ac divinum vocat. S. Prosper libro 2. de vocat. gent. cap. 9. *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo, monendo exemplis, TERRENDO PERICULIS.... Sed etiam voluntas hominis subjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut DIVINO in se cooperetur OPERI & incipiat exercere AD MERITUM, quod SUPERNO SEMINE concepit ad studium.* Et rursus: *Principium sapientiæ timor Domini.... Beatus cui donatum est habere timorem Dei. Quid enim tam BEATIFICUM, quàm hic timor, qui genitor eruditorque sapientiæ est? in cujus utique devotione devota est voluntas, quæ auctore GRATIÆ eodem proficit timore, quo cœpit.*

133. S. Gregorius in 1. Reg. lib. 2. cap. 1. explicans illud: *Dominus mortificat & vivificat, ducit ad inferos & reducit*: ita scribit: *Deo ad inferos ducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere. Ei quoque ab inferis reducere, est territas pœnitentium atque commissa lugentium mentes spe vitæ indesinentis attollere. Tunc quippe peccare definimus, cum SUPERNA GRATIA mollitis cordibus futura tormenta formidamus, & ab inferis reducimur, cum interno visitati solatio ad spem veniæ de pœnitentiæ lamento respiramus. Aptè itaque Dominus ducere ad inferos & reducere dicitur: quia humana duritia in hominis solius prædicatione nec terrore concutitur, nec amore sublevatur. Nam si doctorum esset mortificare &c.... Dominus itaque ducit ad inferos & reducit, quia illa futura possunt tormenta metuere, illa superna gaudia diligere, in quibus per eas voces, quas foris homo loquitur, INTUS DEI PIETAS OPERATUR.*

Et lib. 27. Moral. cap. 10. *Peccator dum sola quæ terrena sunt cogitat, si repentè DIVINÆ GRATIÆ aspiratione tangitur, hoc ante omnia intelligit, quod cuncta quæ agit districtâ æterni judicis animadversione puniantur.. .Sonus ex ore Dei est vis timoris de SUPERNA irruens ASPIRATIONE.... Quos spiritus S. replet, prius eos de*

 terrena

terrena actione terrificat, & postmodum spe cælestium consolatur. Vide totum hoc caput. S. Hieronymus in Psalm. 111. *Qui gehennam timet, & propterea non fornicatur, non habet tantam mercedem, quantam ille, qui propter dilectionem Dei facit.* Ergo aliquam mercedem, adeoque actus est supernaturalis.

134. Prob. 3. ex communi DD. consensu & iis qui Lutherum impugnarunt. Eckius lib. 1. de pœnit: cap. 5. Adfert has Lutheri ad objecta de filio prodigo, aliaque responsiones: *Hanc conversionem sui in seipsum, non habuit ex timore pœnæ, sed à trahente intus patre, & dilectionem paternæ domus inspirante.... ideo necessaria illi fuit alia affectio, scilicet amor boni. Sic ad Joannem Bapt: respondit; quod aliud est docere pœnitentiam, aliud incipere. Prædicator monet, terret, allicit, sed nihil sequitur nisi gratia moverit voluntatem. Et postea ait: Lex docet sancta, justa, & bona, sed sola gratia incipit, facit, & perficit.* Ecce volebat Lutherus pœnitentiam debere esse ex gratia seu supernaturalem, negabat autem timorem esse ex gratia. Quam illius sententiam rejicit Eckius tamquam veritati Catholicæ repugnantem. Subdit enim: *Hæ sunt tortuosi colubri evasiones, sed ut invicta veritas Catholica triumphet, pellem leoninam asino detrahamus.* Et in fine ejusdem capitis: *Ab initio restitimus hæreticis, & dicimus, quia timor, etiam servilis, sit donum Spiritus Sancti.... Fallitur Ludder, quod nesciat varias Spiritus S. gratias distinguere.* Et ibidem cap. 6. *quantâ autem insciriâ Ludder erratum suum roborare nitatur de tractione patris, erudito est obvium: fateor enim voluntatem nostram non posse in bonum motum, nisi præeunte motione tractu Dei Patris, quia non sumus sufficientes &c. ut Paulus nos docuit. Et ideo rectè Augustinus inquit, initium salutis nostræ Deo inspirante habemus; sed non quæcumque motio paterna est per amorem justitiæ, cùm omnes moveat sufficienter.... Fateamur ergo tractionem Patris præcedere initium pœnitentiæ in revertente.*

135. Similiter alterum Lutheri flagellum Episcopus Roffensis ad art. 6. ita respondet Luthero: *At is, de quo jam disserimus, ex animo facit, quamvis non adhuc propter Deum. Quod autem subdis, animum autem talem & cor non dat natura, nec collectio peccatorum, sed sola charitas spiritus. Huic nos respondemus, quod si natura dare non potest, potest tamen fides informis, quæ ut infra charitatem ita supra naturam est, talem animum & cor exhibere.... neque negaverim, hunc doloris motum à spiritu concitari.* Et rursus infra adfert verba Lutheri contra Articulum 6. Leonis X. *Quod si dixerint se loqui de contritione in charitate facta, jam articulus nihil ad me, non enim umquam sic docui: Imo quia ut meum damnant, de contritione naturali loqui eos oportet.* Cui sic respondet Roffensis: *Non usque adeo rudis es Luthere, ut ignores, quid disputatores de contritione sentiant.... Vides contritionem charitate formatam esse. Attritionem verò, quæ discussionem, & collectionem, & detestationem peccatorum complectitur, penitus informem esse. Veruntamen eamdem opinantur* (nempe Catholici cum Luthero disputantes) *ex fide simul & aliis Dei donis gratuitis proficisci, quæ supra naturam sunt, sed citra charitatem.*

Nec est dubium, quin tam Fides, quam Spes, ac cætera id genus dona sint in multis peccatoribus absque Charitate.... Nos Fidem opinamur & Spem posse peccatorem ad gratiam præparare. Et infra col. 409. *Alioqui dona ista, nempe Fidei & Spei sunt incassum donata peccatoribus.*

136. Ex quibus sic licet argumentari. Lutherus negavit timorem gehennæ, & ex illo conceptum peccati dolorem esse supernaturalem. Id tamquam errorem ex inscitia ortum, & tamquam hæresim rejecerunt Catholici contra illum disputantes. Tridentinum vero definit illum dolorem cum spe veniæ conjunctum, *non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam DONUM DEI esse & SPIRITUS SANCTI IMPULSUM.* Prima hujus dicti pars, quod non faciat hypocritam & magis peccatorem, manifestè petit Lutherum: Unde nemo dubitabit, quin, dum in secunda parte dicit donum Dei esse & Spiritus Sancti impulsum, id definiat, quod constantissimè negavit Lutherus, & contra eum affirmabant Catholici, nempe illum dolorem ex metu gehennæ esse ex gratia, sive supernaturalem.

CAPUT VIII.

An attritio concepta ex metu gehennæ in Sacramento Pœnitentiæ justificet.

HÆc est quæstio principalis, ad quam omnia quæ hactenus diximus diriguntur. An nimirum dolor de peccatis præteritis, & propositum de cætero non peccandi, concepta ex metu gehennæ, unà cum spe veniæ, sit sufficiens dispositio, ut peccator accedente Sacramento pœnitentiæ justificetur.

Assert. Sufficit hæc attritio ad justificationem accedente Sacramento Pœnitentiæ.

§. I.

Primum Argumentum.

137. PRob. 1. ex Trident. sess. 14. cap. 4. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam Dei donum esse & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœni-*

pœnitentiæ impetrandam disponit: Præmiserat autem S. Synodus initio hujus sessionis: *Licet in decreto de justificatione* (nempe sess. 6. præcipuè cap. 14.) *multus fuerit de Pœnitentiæ Sacramento propter locorum cognationem necessariâ quâdam ratione sermo interpositus: tanta nihilominus circa illud nostrâ hâc ætate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo* EXACTIOREM ET PLENIOREM DEFINITIONEM *tradidisse; in qua demonstratis & convulsis Spiritus Sancti præsidio universis erroribus, Catholica veritas perspicua & illustris fieret.*

138. Ex quibus hoc formatur argumentum. Tridentinum hâc sess. intendit tradere exactiorem & pleniorem doctrinam ac definitionem, sic ut Catholica veritas perspicua fiat & illustris: atqui dum agit de requisita ad justificationem dispositione pœnitentis (utique proxima & sufficienti, ut admittunt P. Lupus & P. Farvacques) non meminit alterius contritionis, quàm imperfectæ, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, nullâ factâ mentione Dei propter se dilecti; ergo talis dolor sufficit in Sacramento pœnitentiæ. Alioqui nec exactam nec perspicuam traderet doctrinam, sed talem quæ multos nata esset in errorem periculosum inducere.

139. Dices 1. Id erat per se manifestum; ita P. Lupus pag. 11, & rursus pag. 16. Res ipsa clamat, res lucida est, in omni pœnitentia debere reperiri amorem Dei super omnia, ac proinde necesse non fuit id addere.

Resp. hæc gratis assumi: quomodo enim id poterat supponi tamquam manifestum à Tridentino; cum Lutherus contra Catholicos urgeret, eos, qui non dolent ex amore justitiæ, non esse dispositos ad absolutionem: è contra vero Catholici, & in primis Roffensis contenderet, non requiri amorem Dei in Sacramento, eamque assereret Catholicorum esse doctrinam, ut infra videbimus num. 161. Cum Tapperus, qui scripsit eodem tempore quo celebrabatur hæc sessio, vel saltem statim post, asserat ad articulum 4. esse probabilem Doctorum sententiam, nempe anteriorum, quod attritio ex metu gehennæ etiam cognita sufficiat cum Sacramento. Cùm plurimi ante Tridentinum asseruerint, sufficere attritionem si putetur contritio: alii aliter id explicuerint sine amore. Qua ergo veritatis specie dici potest, hoc fuisse adeo evidens, ut Synodus volens tradere perspicuam, pleniorem, & exactiorem de hoc Sacramento doctrinam, duxerit illud de amore Dei, tamquam per se notum, prætereundum? Profecto si Synodus credidit neminem de eo dubitare aut dubitaturum, deceptam plurimùm fuisse ipsa docuit experientia; cum plerique post Tridentinum docuerint sufficere attritionem cognitam sine Dei amore, idque ex ipsis Synodi verbis; atque hinc

140. Probatur aliter eadem conclusio. Si verum non est, quod attritio ex me-

ex metu gehennæ, cognita ut talis, sufficiat cum Sacramento, sententia id asserens erat error è præcipuis unus & maximè perniciosus saluti animarum; ergo, cum Synodus, ut ipsa loquitur initio hujus sessionis, velit tradere pleniorem & exactiorem de hoc Sacramento definitionem, *in qua demonstratis & convulsis Spiritus Sancti præsidio universis erroribus* (qui illa ætate erant, ut præmittitur ibidem) *Catholica veritas perspicua & illustris fieret*; Si hanc sententiam credebat falsam, debebat hunc tam perniciosum inter cæteros errorem demonstrare & convellere. Quæro ab adversariis, quo hujus sessionis capite aut canone hunc errorem demonstret aut convellat? nullibi profectò; imo è contra hanc sententiam stabilit, ut in priori probatione ostendimus.

141. Dices 2, cum eod, pag, 84. id dixerat Tridentinum sess. 6.

Resp. ad ea quæ adferuntur ex sess. 6. dicemus infra num, 175, Hìc addo, multa quæ illa sess, dixerat Synodus, repetit sess, 14, adeoque ut hìc tradat perspicuam & plenam doctrinam, debuerat etiam meminisse hujus præcipui motivi, nempe amoris, si illud credebat necessarium.

142. Dices 3, Imo in hac ipsa sess, 14, requirit amorem, Probatur assumptum.

Primò, quia requirit ut actus præparans ad justificationem cum Sacramento, excludat voluntatem peccandi, quod fieri nequit sine amore Dei amicitiæ, Ita P. Lupus & P. Farvacques.

Secundò idem lucet ex his verbis sess, 14, cap, 4. *Continet cessationem à peccatis, & eorum detestationem.* Utique detestationem ortam ex justitiæ dilectione, Ita loquitur P. Lupus pag, 10. Adde, quòd qui peccata detestatur ex metu gehennæ, non detestetur peccata, sed gehennam,

Tertiò Tridentinum ibidem declarat attritionem disponere ad gratiam, utique proximè & sufficienter, proximam autem & sufficientem etiam cum Sacramento dispositionem debere esse charitatem definit alibi Tridentinum; idem pag, ead,

Quartò denique sess, 14, cap, 4, definit contritionem generatim, quòd sit *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*. Quæ omnia certum est non posse fieri sine vera dilectione, inquit P. Lupus pag, 84. & alibi, Atqui imperfecta ex metu concepta contritio, est germana species sumptæ generatim, & superius per Synodum definitæ contritionis, pag, 83, ergo palam prædicat Tridentina Synodus, esse debere Dei ac justitiæ dilectionem, Ita pag, 15,

Resp. negando assumpt: Ad 1. probationem, dico evidenter, ni fallor, demonstratum est cap. 5. sine Dei amore excludi posse omnem voluntatem peccandi, idque tum ex ratione, tum ex Patribus; adeoque, ut contrarium tam confidenter pronuntietur, prius convellenda erunt quæ ibi

diximus, & solida ratio adferenda, quod numquam fiet. Neque mihi persuadere possum id umquam negaturos fuisse adversarios, nisi vidissent id necessarium esse ad suam de attritione sententiam tuendam.

Ad 2. probat: Resp. P. Lupum sine ullo fundamento, & merè pro libitu, verbis Tridentini hanc glossam; *Utique detestationem ortam ex justitiæ dilectione*, addidisse.

143. Quod additur eum qui detestatur peccatum ex metu gehennæ, non detestari peccatum, sed gehennam; id, inquam, vel evidenter falsum est, vel nihil omnino ad rem facit. Si enim sensus sit, quòd ille non detestetur verè peccatum, clarissimæ repugnat veritati. Qui enim fugit leonem aut lupum, ne ab illo lædatur aut laceretur, verè fugit ista animalia, licet id ultimatè faciat ex amore sui, ne sibi malum accersat. Qui sumit potionem amaram, aut patitur se uri & secari, verè illa vult, licet ultimatè referat ad sanitatem aut vitam servandam. Si verò sensus sit, quòd ille actus potius sumat suam specificationem à fine; quid hoc, quæso, ad rem pertinet? Nam eodem modo detestatio peccatorum ex amore Dei, ab hoc potius sumet suam specificationem. Quare dico, si detestari peccata ex timore gehennæ, adeoque ex amore sui, sit detestari gehennam & se amare, non sit autem detestari peccata: similiter detestari peccata ex amore Dei, erit amare Deum, non autem peccata detestari. Et è contra, si detestatio peccatorum ex amore Dei, sit vera peccatorum detestatio; etiam vera erit eorumdem detestatio, ea detestari ex metu gehennæ sive ex amore sui. Unde miror hoc nobis opponi potuisse.

Ad 3. probat. Resp. admittendo quod Synodus agat de dispositione proxima & sufficienti: nego autem hanc debere esse ex motivo charitatis. Porro quid alibi definiat Tridentinum, videbimus infra: cap. 9. hîc solùm agitur, quid dicat Synodus sess. 14. in qua ex professo tractat de Sacramento Pœnitentiæ, & dispositione ad illud requisita, & ubi promittit perspicuam, exactiorem & pleniorem hujus rei definitionem; dicimusque evidens esse, illâ sess. nec mentionem fieri amoris Dei, requisiti ad attritionem seu contritionem imperfectam.

Ad 4. probat: Admitto Synodum ibi definire contritionem generatim sumptam, hujusque speciem esse attritionem; sed nego consequentiam, & dico; cum evidens sit posse peccatorem de peccatis dolere, & proponere non peccare de cætero ex solo metu sine Dei dilectione, in illa definitione Contritionis in genere, nihil prorsus dici ex quo colligatur motivum Dei propter se dilecti in omni contritione debere involvi. Et hinc

144. Probatur rursus nostra Conclusio: Tridentinum hâc sess: ubi spondet perspicuam & exactam definitionem eorum, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent, non aliam tradit definitionem contritionis

genera-

generatim sumptæ quàm hanc: *Contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Nemo negabit, quin hæc definitio sit exacta & plena. Ergo nihil in ea omissum est essentiale, multò minus aliquid primariò essentiale. In illa autem definitione nec explicitè ponitur motivum charitatis, neque hoc implicitè continent alia ejusdem definitionis verba. Ergo omnino alienum est à mente Tridentini, quod asserit P. Lupus pag. 83. 84. & alibi, omni nempe contritioni essentiale esse elici ex motivo charitatis, aliàs esse contritionis fucum &c. Synodus igitur, quando definit contritionem in genere, non meminit amoris Dei; uti nec ejusdem meminit, dum agit de contritione imperfecta, seu attritione; ergo censet attritioni non esse essentialem amorem Dei, ideoque nec contritioni in genere illum amorem attribuit, licet altera contritionis species amorem necessariò involvat. Adde, si omnis contritio debeat essentialiter habere motivum amoris, cur Synodus agens de illa, quæ ante sacramenti susceptionem justificat, dixit *contritionem amore perfectam*? nam in sententia adversariorum suffecisset dicere, contritionem perfectam non facta mentione amoris. Hæc omnia convincunt, à Tridentino tradi nostram sententiam.

§. 2.

Alia evasio P. Lupi.

145. VEnio nunc ad novam explicationem P. Lupi: novam voco quia neminem reperio, qui eam saltem clarè & expressè tradiderit.

Hunc Tridentini locum: *Illam contritionem imperfectam, quoniam ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur:* vult P. Lupus intelligi minimè debere de illo actu, quo quis ex puro metu gehennæ tamquam motivo peccata detestatur, sed de alio actu planè distincto. Quod ut rectè intelligatur, recolendum est, actum timoris esse initium sapientiæ seu charitatis, sic ut actus charitatis introducatur per timorem, sicut linum per setam, uti explicat Augustinus. Quando ergo in homine timor introduxit actum charitatis, jam duo sunt actus sive simul, sive successivè; unus est purè timoris, alter vero, utpote charitatis, pro motivo habet Deum propter se dilectum; hunc autem posteriorem actum, quia suo modo procedit à timore vocat P. Lupus conceptum ex timore, timorem vero vocat concipientem. Hinc dum Synodus dicit: *Contritionem imperfectam, quoniam ex gehennæ metu concipitur.* Explicat ipse de secundo illo actu, qui habet motivum charitatis, qui quia per actum timoris introductus est, dicit esse illum, quem

Synodus ait ex timore concipi. Patent hæc ex P. Lupo pag. 76. in fine capit. 15. ubi descriptis illis Synodi verbis subjungit: *Distinguit duplicem pænitentis animi motum: gehennæ servilem, ex quo imperfecta pænitentium contritio communiter concipitur, metum, & ex eo conceptam attritionem. Hanc definit esse motum utilem, sed & licet non perfectam, veram tamen contritionem, Spiritus Sancti donum & impulsum, actum non inclusum, sed infusum, impetrandæ peccatorum remissioni præparationem cum Sacramento omnino sufficientem.* Et rursus pag. 79. *in homine per servilem metum ad correctionem & contritionem perducto distinguenda sunt duo tempora: primum, dum solo timore movetur; secundum, dum timor jam concepit sapientiam, ac peperit charitatem. Priori tempore fateor hominem esse invitum ac involuntarium* &c. *Posteriori autem tempore est plenè liber ac voluntarius. Tunc enim introducta est timorem adjuvans charitas, & expulsa timori repugnans cupiditas, omnisque prior necessitas versa est in virtutem & liberam electionem.* Idem sæpè repetit; & tandem cap. 18. ne quid ad plenam hujus speculationis intelligentiam & complementum desiderari possit, quærit quomodo contritio imperfecta, illa nimirum, quæ fertur motivo charitatis, concipiatur seu nascatur ex actu, qui sistit in timore servili; an per imperium, an per emanationem, an aliter? Tum resolvit, contritionem imperfectam concipi ac procedere ex servili pœnarum metu per conversionem, seu tamquam ex termino à quo conversionis. *Sicut*, inquit, *ligni forma in formam ignis transmutatur, adeoque hæc ex illa concipitur & procedit.... Disertè id tradit Augustinus: Quem timor coëgit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras misit timorem. Iste introducentis ad introducti ingressum exitus & cessio, est evidens indicium conversionis, seu conceptionis per conversionem.*

146. Atque ex his patet quid sibi velit P. Lupus dum pag. 82. ait, *hinc conceptam ex metu servili contritionem esse legitimam, sanctam, ac veram, non est ambigendum. Ante Lutheri tempora negarunt id cum Donatistis Pelagiani* &c. Intelligit nimirum de actu, non qui fit ex motivo metus, sed de alio, qui pro motivo habeat Deum propter se dilectum.

Hæc explicatio verborum Tridentini licet per se appareat ad evadendam vim Tridentini gratis excogitata, adeoque refutatione non egeat, quædam tamen ad eam plenè confutandam adferemus.

147. Ac 1. quidem, quoties agitur de dolore concepto ex hoc aut illo, quod capax sit esse illius doloris motivum, homines intelligunt, dolorem ex illo tamquam motivo concipi, non autem de alio quopiam actu distincto. Sic dum pœnitens dicit se dolere ex amore Dei, nemo intelligit illud ex transitivè de ulteriori actu procedente ex amore. Quæro an, quando P. Lupus pag. 85. dicit contritionem perfectam procedere ex charitate perfecta, an, inquam, non tamquam cavillatorem reputaret eum, qui diceret P. Lupum non contentum charitate perfecta; alium insuper ad justifica-

ficationem requirere actum distinctum, qui ex illo actu perfectæ charitatis procedat tamquam à termino conversionis? Quæro an, quando pag. 25. dicit desiderium Christi & vitæ æternæ aliquid vitii habere, quia oritur ex proprio sui amore; an, inquam, dicat, desiderium Christi & futuræ vitæ ex motivo charitatis, qui sit actus ortus ex priori, esse vitiosum? Quæro denique an, quando paginâ 68. arguit timorem imperfectionis, quia oritur ex amore sui, & dum ibidem dicit eum qui ex timore facit, facere voluntate invita & aversâ, sic ut cor ejus non sit rectum cum Deo &c. quæro, inquam, an hæc rectè possint explicari de actu charitatis, qui ex timore seu amore sui ortum ducit? Incongruè igitur vocibus Tridentini eam tribuit explicationem, quâ, si eædem voces apud ipsum repertæ intelligerentur, diceret, & meritò, verba sua ineptissimâ interpretatione contorqueri.

148. Secundò Tridentinum eodem c. 6. post assignatum actum contritionis per se justificantis, eumque per rationem sibi propriam & specificam descriptum; progreditur ad alteram contritionis speciem, quæ se sola non justificat, eamque vocat imperfectam contritionem seu attritionem. Quæro an Synodus describat attritionem per rationem sibi propriam & specificam, an vero per id, quod æquè competit contritioni perfectæ? Posterius dici non potest sine injuria illata tot viris doctissimis & Spiritu S. afflatis: quòd nempe volentes tradere species contritionis generatim superius definitæ, unam speciem descripserint per aliquid, quod contritioni generatim sumptæ competit, id est non magis attritioni, quàm contritioni perfectæ, adeoque nullo modo assecuti sint scopum, quem initio sessionis sibi præfixerant. Neque etiam juxta adversarios dici potest, quòd attritioni attribuerint rationem ejus propriam, & distinctivam ab actu contritionis perfectæ. Nam ut asserit auctor dissertationis dogmaticæ pag. 86. & alibi, etiam contritio perfecta regulariter inchoari debet à timore; &, ut ait auctor Quodlibeticæ pag. 13. *falsum est, quod impius possit justificari absque ullo prævio timore*, Ergo concipi ex timore, prout id explicat P. Lupus, commune est tam contritioni perfectæ quàm imperfectæ: ergo &c.

149. Tertiò quando Synodus dicit: *Contritionem verò imperfectam, quoniam ex gehennæ & pœnarum metu concipitur*: manifestum est ex particula *quoniam* quòd imperfectionem attritionis ex eo petat, quòd concipiatur ex metu gehennæ. Ergo vel Synodus eam imperfectionem petit ex eo, quòd attritio sistat in metu gehennæ tamquam motivo ultimato; vel ex eo quòd pœnam aversetur referendo ulterius in Deum. Si primum, habemus quod intendimus: si secundum, falsum est, quòd inde actus sit imperfectus: nemo enim dubitat, quin per actum perfectæ contritionis possit quis simul detestari gehennam v. g. sub ea ratione, qua est impedimentum amandi Deum.

Et hoc argumentum vim suam habet etiam contra illos, qui, licet non recurrant ad alium actum à timore distinctum, volunt nihilominus hic agi de actu, qui ultimatè referatur in Deum propter se dilectum. Adde, cum ante Tridentinum, ut vidimus num, 10. passim vox, attritio, sumeretur pro dolore, qui pro motivo habet pœnas, si per attritionem ex metu intellexisset, non illum actum, cujus motivum sit metus, sed aliquem ulteriorem, quid hoc fuisset aliud, quàm dare occasionem errandi in re tanta, à qua pendet animæ salus.

150. Quartò, si illud *ex* sumatur transitivè, sic ut designet actum ulteriorem, qui ex actu timoris procedit; quomodo potuit Synodus de illo generaliter affirmare, quòd sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat? Quandoquidem contritio perfecta tali quoque ratione procedat ex timore, illa tamen sine Sacramento pœnitentiæ justificet.

151. Quintò denique, si verba Lutheri ex sermone de pœnitentia conferas cum iis, quæ habet Tridentinum sess. 14. cap. 4. & can. 5. quæ vide supra cap. 1. manifestissimum fiet, illam ipsam attritionem à Synodo probari; quam impugnat & reprobat Lutherus. Atqui evidens etiam est Lutherum impugnasse attritionem, quæ est ex metu gehennæ tanquam motivo unico & ultimato; illam verò, quæ est ex amore justitiæ, approbasse tanquam veram pœnitentiam, quæ reddat dignos & dispositos ad absolutionem. Ergo Tridentinum agit de attritione, quæ pro motivo habet aut solas pœnas, aut turpitudinem peccati. Major hujus argumenti negari nequit, eamque admittit P. Lupus pag. 78. 80. 83. 88. Minor probatione non eget, nisi apud eos, qui vel Lutheri mentem in hac parte non indagarunt, vel non intellexerunt.

152. Negat nihilominus minorem P. Lupus, qui, cum distinguat duos actus, unum timoris, alterum amoris Dei, ut vidimus num. 145. vult contra hunc secundum actum, qui charitatis est, effutiisse Lutherum quidquid effutiit. pag. 73. de Luthero dicit: *non solum gehennæ metum, sed & conceptam ex illo attritionem blaterat esse peccatum:* & pag. 77. *Hinc gravissimi DD. existimant Synodum non de purè servili, sed definire de metu initiali, quem præsertim infamarat Lutherus: nec loquuntur sine fundamento.... Purum ac plenum, cui adhuc annexa servilitas, servilem metum peccati quidem accusavit de ipso tamen vix expresse disputavit Lutherus, ideoque & sancta Synodus videtur de ipso nihil definivisse.* Denique pag. 80. relatis verbis Tridentini ex sess. 14. cap. 4. & can. 5. quod attritio non faciat hypocritam &c. Asserit illa *tendere in Lutherum, in serm. de pœnit. & in apologia, errores istos, non solum de servili timore, aut ejus servilitate, sed & de concepta per ipsum contritione garrientem.*

153. Posito autem hoc saltu ab actu timoris, ad actum amoris à timore pro-

re procedentem, jucundum est audire, quàm acriter P. Lupus in Lutherum invehatur & quasi de illo triumphet pag. 78. in fine: *Conceptam ex servili metu contritionem cum ipso metu, ac ejus servilitate, confudit homo cæcus & dolosus, ideoque & hujus & istius vitia in illam nequiter & Donatisticè transcribit.* Et pag. 80. *Lutherus & Donatistæ confuderunt hæc duo tempora. Hinc purum evangelicæ Prædicationis vinum miscuerunt & inquinarunt fœtidâ aquâ suarum fabularum.* Denique pag. 81. *Concipientem metum & conceptam attritionem non distinxit cæcus & dolosus Lutherus, atque hinc tam grossè lapsus est.*

154. Verùm invectivæ hæ, utpote non vero nixæ fundamento Lutherum non feriunt: nam 1. quod dicit pagina 77. Lutherum præsertim infamasse metum initialem, de metu vero servili vix expressè disputasse, ab omni prorsus alienum est veritate: nam de purè servili agit in sermone de pænitentia, quo loco signanter etiam asserit, contritionem, quæ paratur per contemplationem speciosissimæ virtutis, facere verè pœnitentem & dignum absolutione. De metu servili, & non alio agit ad art. 6. à Leone X. damnatum; de eodem denique, qui nullam habet adjunctam charitatem fusissimè disputavit in illa disput: Lipsica, ut patet ex ejus verbis, quorum aliqua retulimus num. 106. De eodem quoque timore disputant contra Lutherum Roffensis & Eckius: quæ omnia tam certa sunt, ut negari nequeant ab eo, qui illos legerit.

Secundò falsum est quod dicit pag. 80. Lutherum in sermone de pœnit: garrivisse contritionem, quæ esset formata charitate, & concepta ex actu metus præcedenti, facere hominem hypocritam & magis peccatorem. Idque palpabitur, si sermo ille tantummodo legatur, si ea quæ habet ad art. 6. si disputatio Lipsica de hoc puncto: & hæc sufficienter patent ex iis, quæ hactenus sparsim ex Luthero retulimus.

Tertiò denique falsum est, quòd Lutherus non distinxerit inter actum qui purè sit timoris, & eum qui pro motivo habet amorem justitiæ; ut clarum est ex hactenus dictis. Nonne satis multa sunt, quæ in Luthero carpi possunt, ut necesse fuerit ad alia non rectè fundata recurrere?

§. 3.

Alterum argumentum.

155. PRob. Conclus. 2. ex tam constanti & unanimi plurimorum omnis generis & conditionis consensu.

Huic argumento initio suæ Quodlibeticæ occurrit P. Farvacques: *Neque*, inquit, *hîc juvare poterit ab Auctorum multitudine petitum patrocinium: quia non mille Auctores, nec decies millies centena millia suffragiis suis efficient, ut sufficiat dispositio,*

quæ

quæ ex Christi institutione non sufficit. Fateor libenter non posse Auctorum multitudinem efficere, ut ad valorem sufficiat, quod noluit Christus sufficere. Verùm quid inde? nam nec ullum Concilium id efficere potest. Id igitur isto argumento agitur, quòd talis dispositio ex Christi institutione sufficiat. Quod sic conficio.

156. Ponamus Auctores ferè unanimiter affirmare, certò sufficere pro forma absolutionis hæc verba: *Rogo ut Deus te habeat pro absolutum*; vel alia quæcumque distincta à forma, qua modo utimur; & ita passim institui in scholis confessarios, hosque eâ uti, etiam à plurimis annis promiscuè fuisse usos, scientibus Ecclesiæ Prælatis & ipsis summis Pontificibus, neque ullo modo contradicentibus, idque postquam diversis temporibus pauci aliqui acriter rejecissent illam formam, tamquam manifestè insufficientem. His positis nemo negabit, quin inde planè efficax duci possit argumentum, formam illam ex institutione Christi esse omninò sufficientem. Credibile enim non est Spiritum S. qui Ecclesiam ejusque capita regit, permissurum, ut cum tot animarum pernicie talis persuasio pleraque Ecclesiæ membra pervadat, & ex tot Pontificibus ne unus quidem eam sententiam notet ut falsam, vel saltem ut dubiam. Atqui hæc omnia æquè vel magis locum habent in casu nostro; ergo etiam inde ducitur efficax argumentum. Probatur minor: Quia illa sententia passim invaluit post Tridentinum, plerisque in eam abeuntibus: passim ea imbuti fuerunt animarum Pastores, & ab his eorum subditi, quorum sine dubio plurimi illam in praxi sunt amplexi, itaque in Sacramento unde pendet æterna salus: sciverunt id Ecclesiæ prælati, sciverunt Pontifices; neque horum quispiam eam sententiam ut falsam aut ut dubiam notavit; etiam postquam pauci aliqui libris editis eam sententiam, ut falsam & saluti animarum perniciosam, insectati sunt. Imò, quod plus est, Auctores hujus sententiæ fundant sese præcipuè in verbis Tridentini, adeoque hujus verba hunc sensum præ se ferunt; ea enim potius censenda est verborum significatio, quam passim viri docti illis subesse existimant. Fierine potest, ut quis sibi persuadeat, Patres Tridentinæ Synodi, postquam Spiritus Sancti instinctu decreverant contra illius temporis errores tradere de hoc Sacramento doctrinam perspicuam & exactam, postmodum in executione adeo desertos fuisse à Spiritu S. ut doctrinam suam iis verbis conceperint, quæ in obvio sensu accepta errorem ingenerarent æternæ fidelium saluti perniciosissimum; neque Spiritus S. illum exortum statim per Ecclesiæ capita in suo ortu præfocaverit; atque hac ratione alium à se per ea verba sensum intentum fidelibus manifestarit. Hæc certè illi contra quos agimus numquam mihi persuaserint; multò minùs alii, qui quorumdam errorum ab Ecclesia sunt convicti. Nostram autem sententiam de sufficientia attritionis ex metu gehennæ

conceptæ passim à Theologis post Tridentini tempora traditam, nec negant, nec negare possunt; quare non est quod illis recensendis immoremur.

157. Porro quia Exim. P. Farvacques pag. 2. negat, quemquam ante Tridentinum nostram sententiam docuisse, beneficii loco habiturus si aliquis proferatur, qui asserat sufficere attritionem cognitam talem; fatetur enim fuisse qui traderent illam sufficere, si putetur bonâ fide contritio: sit

§. 4.

An & qui nostram sententiam docuerint ante Tridentinum.

MAxima fuit inter scholasticos olim sententiarum varietas, & sæpe obscuritas, circa contritionem seu pœnitentiam.

158. Primò aliqui non distinxerunt inter actum requisitum in Sacramento, & extra illud. Hi divisi erant in duas classes: his requirentibus in utraque justificatione amorem Dei propter se dilecti; & hanc sententiam inter antiquos fuisse satis communem testatur Gabriel Biel: illis verò dolorem ex timore pœnæ aut spe beatitudinis, quem volebant sine Sacramento sufficere. Inter hos fuit Guido de Monte Rocherii ante annos circiter trecentos, qui tract. 2. de Contrit. cap. 1. definiens contritionem nulla facta mentione amoris Dei, sed solius timoris ac spei, asserit hanc contritionem justificare etiam cum solo voto Sacramenti.

2. Marsilius in 4. q. 10. art. 1. asserit dolorem, qui elicitur ante obtentum habitum charitatis, non esse veram pœnitentiam, sed tantùm esse penitentiam impropriè, eò quòd sit similis in tendentia cum pœnitentia. Verùm non aliud censendus est intellexisse, quàm quòd sine charitate & gratia habituali, non sit meritoria, nempe de condigno. Hoc sensu in disput. Lipsica dixit Lutherus: *Omnes consentiunt contritionem oportere fieri in charitate, si debet esse meritoria pœnitentia:* quod verum esse admittit Eckius.

3. Marsilius ibidem, dicit, charitatem esse priorem pœnitentiâ; sed, ut ex ipso patet, per charitatem intelligit gratiam actualem, ex quâ pœnitentia promanet. Et hoc modo loquendi sæpe abusus est Lutherus in disputatione cum Eckio, charitatem confundens cum gratia actuali, ut videre est ex responsionibus Eckii.

4. Dicebant alii sufficere actum naturalem præsertim amoris Dei, ut refert Tapperus ad art. 4. qui de hoc actu naturali addit: *An sit idonea dispositio, ut virtute Baptismi & Pœnitentiæ gratia conferatur, certum non est; est tamen probabilis multorum opinio quòd sufficiat.* Adverte tamen quosdam antiquos per actum naturalem, seu qui fiat ex solo libero arbitrio, intelligere actum qui non ex habitu supernaturali, sed tantùm à gratia actuali procedit, ut colli-

gere est ex Altissiodorensi in 4. de Sacramento Pœnitentiæ pag. 265.

5. Apud Tapperum quidam DD. scholastici, sed, ut addit, neoterici asserebant quodvis attritionis genus sufficere ad gratiam, dummodo pœnitens bona fide existimet se præstitisse id, quod est necessarium.

6. Volebant aliqui sufficere habere dolorem de peccatis in voto.

Verùm longissimum foret & difficile omnes sententias recensere: quare ut propius ad quæstionem nostram accedamus;

159. 7. Docuerunt alii sufficere attritionem ex metu gehennæ, si putetur esse contritio: fuisse qui ita docerent fatetur P. Farvacques. Hos autem auctores plurimùm favisse nostræ sententiæ negari non potest: negabant enim omni pœnitentiæ essentiale esse elici ex charitate in Deum, quod affirmant Adversarii.

160. 8. Fuisse aliquos ante Tridentinum, qui docerent sufficere attritionem ex metu cognitam, manifestum est ex Tappero, dum ad Articulum 4. dicit hanc esse probabilem Doctorum sententiam: dum autem non addit esse sententiam neotericorum, quod expresse notat ad ultimam sententiam ex ibi relatis, satis indicat eos esse Tridentino antiquiores, sub cujus initia hæc scripsit. Quod adhuc magis patebit ex dicendis.

161. Pro hac nostra sententia primo loco adfero Joannem Fisscherum Episcopum Roffensem, mortuum decem annis ante Tridentinam Synodum congregatam: qui Auctor multorum instar est, cum non suo tantùm, sed & aliorum Catholicorum nomine loquatur. Hic ad art. 11. columnâ 437. refert hæc Lutheri verba: *Nullo modo confidas te absolvi propter tuam contritionem &c.* Ad quæ ita respondet Episcopus: *Nihil in se mali continet is articulus juxta verborum frontem, neque in eo quidquam est, quod nostri* (id est Catholici) *non asserant. Cum nemo de sua contritione certus esse potest, quòd ea sit sufficiens: neque nostri contritionem exigunt à confessuro, sed attritionem solam;* Quòd autem per attritionem idem intelligat, quod nos, constat ex ejus testimonio supra num. 10. & aliis locis passim.

Et ad art. 5. col. 385. *Duobus itaque modis* (*ut supra diximus*) *Ecclesia credit, peccatores Deo posse conciliari. Altero per ingentem & acerbum dolorem, nondum absolutionis suscepto Sacramento: altero per susceptionem Sacramenti, dolore nonnullo præcedente. Utroque certè modo suam paratus est Deus gratiam elargiri. Secundus tamen modus facilior est, & peccatori securior.... Accedat ad Sacramentum quispiam fide & dolore nihilo majoribus, quam satis fuerit ad hujus Sacramenti susceptionem. Ego certè tam fidem, quàm dolorem, voto saltem affectatum, exigi non dubito. Verùm si dixero sine dolore, qui ex charitate nascitur, neminem ad suscipiendam absolutionem idoneum esse, quis jam de Sacramenti fructu securus esse potest, cum nemini certum sit dolorem ex charitate proficisci. Tutius est igitur, ut dicamus fidem cum nonnullo dolore sufficere, ut quis per Sacramenti susceptionem confidat se prorsus ab omni peccatorum*

reatu jam liberum esse factum. Ubi cum dolorem nonnullum opponat dolori qui nascitur ex charitate, per illum intelligit nostram attritionem.

Rursus ad art. 14. col. 455. *Ecclesiæ orthodoxæ communis doctrina est, nimirum ut confessurus cum aliquo dolore veniat ad suscipiendam absolutionem, & quod Sacerdos illum audiens, si non aliis indiciis constiterit, ab eo sciscitetur, an doleat: non (quemadmodum tu dicis) an sufficienter doleat.* Dum autem dicit peti, an doleat, agit de dolore, quem Lutherus dixerat facere hypocritam & magis peccatorem, uti patet ex præcedentibus. Denique ad artic. 1. col. 339. ad illud Lutheri: *Quidam enim ex eis dicunt nec motum bonum cordis requiri:* respondet Roffensis: *Non est utilis absolutio, nisi præcedat in confitente aliqua contritio vel attritio......sufficit enim quod aliqua displicentia, licet informis, præcedat, & tunc ille capax est absolutionis Sacramentalis.*

162. Omittere nequeo testimonium Roffensis, quo fatetur se aliosque Catholicos motos ad hanc sententiam commiseratione erga peccatores quam passim in nostræ sententiæ Auctoribus sugillant adversarii: ita enim loquitur eâdem columnâ 339. *Illi* (nempe Catholici) *spectans illud Evangelicum; arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. Condescendunt itaque misericorditer infirmitatibus peccatorum, ac propterea viam struunt faciliorem, & certiorem quo potuerunt, ad alliciendos in rectam semitam peccatores. Quoniam igitur via contritionis, seu attritionis formatæ, non minus est dura, quàm incerta peccatoribus, iccirco viam hanc alteram, per Sacramentorum susceptionem, multò mitiorem & securiorem docent, utpote ob quam nihil exigitur, nisi ut non ponatur obex vel infidelitatis, vel peccati mortalis: & hæc est causa, quæ movet eos docere tantam inesse Sacramentis efficaciam.* Per obicem autem, ut explicat columnâ præcedente, intelligitur vel carentia fidei, vel quòd adsit affectus actualis ad mortale, vel quòd quis de mortali præterito neque conteratur, neque atteratur.

163. Hisce testimoniis adeo manifestis tenebras aliquas affundere conatur P. Farvacques pag. 55. asserens Roffensem solummodò docuisse, attritionem ex solo motivo metus gehennæ tunc sufficere cum Sacramento, quando bona fide existimatur esse dolor ex amore Dei proveniens: id autem, ut inquit, evidenter colligitur ex his illius verbis relatis num. 161. *Ego certè tam fidem, quàm dolorem saltem voto affectatum exigi non dubito.* Quæ verba eâdem pag. sic explicat ille auctor: *docet quod sufficiat si habeat dolorem affectatum, hoc est si bona fide conetur & putet se habere dolorem ex charitate provenientem.* Pergit P. Farvacques: *unde, quæcumque scribit de sufficientia timoris in Sacramento Pœnitentiæ, ex hoc loco explicanda sunt, quòd nempe putet attritionem ex timore sufficere, dummodo existimetur contritio.* Fateor sæpe in Auctoribus unum locum explicari debere per ea quæ idem Auctor alibi dicit. Quæ, inquam, Auctor dicit; nego enim explicari debere juxta unum *hoc est*, quod alius quispiam pro suo arbitratu & sine ulla probatione adjicit. Illo autem loco non

 dicit

dicit Roffensis exigi dolorem ex charitate saltem voto affectatum, sed simpliciter asserit exigi dolorem saltem voto affectatum. Non mutatur autem nec restringitur significatio vocis *dolor*, quando ei additur, in voto; nam pecunia in voto non magis restringitur ad auream, quam pecunia nullo addito. Sicuti ergo, dum Roffensis, & omnes qui nobiscum sentiunt, fatentur ad justificationem in Sacramento requiri dolorem, malè quis id interpretaretur de dolore qui sit ex motivo charitatis, sic quoque dum dicit requiri dolorem voto saltem affectatum, gratis additur; hoc est dolorem ex charitate. Hoc ipsum etiam patet ex testimoniis Fisscheri recitatis, dum dicit Catholicos non requirere contritionem à confessuro, sed solam attritionem; non rogare an sufficienter doleant, dummodo constet ipsos dolere; sufficere aliquam displicentiam licet informem &c. Alibi etiam dicit posse verè dolere eum, qui non dolet ex charitate. Quæ non rectè dicerentur, si judicasset debere esse putatam contritionem. Sic illi, qui docent peccatorem invincibiliter putantem se esse in statu gratiæ, justificari per sumptionem Eucharistiæ, si adsit attritio; malè profectò dicerent Catholicos in eo, qui mortaliter peccavit, non requirere statum gratiæ per Sacramentum pœnitentiæ obtentum, antequam communicet; sed solam attritionem, hanc sufficere, non debere quæri seu curari an mortalia confessus sit ante communionem, dummodo ex aliquo signo constet eum attritum &c.

Fisscherum ergo & cum ipso alios nostram sententiam tenuisse ante Tridentinum, negari non potest. Et id sufficere poterat; quosdam tamen insuper profero.

164. Joannes à Daventria Anno 1537. edidit Exegesim contra Confessionem Augustanam, in qua ad Artic. 5. hæc profert verba Lutheri ex sermone de pœnit: *Contritio quæ paratur discussione, collectione, detestatione peccatorum, quâ quis ponderat gravitatem, damnum, fœditatem peccatorum, deinde amissionem æternæ beatitudinis, facit hypocritam, imo magis peccatorem, quia timore præcepti & dolore damni id facit & tales omnes indignè absolvuntur.* Ad quæ Daventria, postquam fusè probasset dolorem de peccatis ex ingruentis mali timore natum, non facere hypocritam & magis peccatorem, tandem respondet pag. 30. *Sic absolvere non est irretire, quod ubique ferè nobis objiciunt adversarii.* vide etiam pag. 49. & 50.

Et rursus ad Artic. 12. pag. 180. recitat hæc verba ex Confessione Augustana:

Quare intelligunt omnes boni viri utiliter & piè reprehensam esse doctrinam Sophistarum & Canonistarum: nam hæc dogmata apertè falsa sunt..... 2. quòd per attritionem mereamur gratiam.

Et respondet Daventria: *Secundum, quòd per attritionem mereamur gratiam, certissimum est: Sacramentum enim Baptismi cum fide & dolore de peccatis, & cum proposito*

posito melioris vitæ acceptum justificat & salvat; sic & attritus, id est, suorum peccatorum pœnitens, cum suscipit Pœnitentiæ Sacramentum, gratiam haud dubiè suscipit. Itaque hoc modo de attrito meretur fieri contritus.

Per Attritionem autem hoc loco Confessionistæ Augustani intelligunt illam, quam reprehenderat Lutherus, quamque ex iis proximè attulimus, adeoque illam de qua hîc agimus. Eamdem quoque intelligit Daventria, cum ita intelligerent ii, quos oppugnabat, & etiam passim Catholici, ut ostensum est capite 2. Imo hoc ipso loco expressè asserit se attritionem accipere hoc sensu. Profert enim ibidem articulum 4. Confessionistarum, qui erat, *quòd propter contritionem, non fide in Christum consequamur remissionem peccatorum.* Ad quod dogma ab hæreticis reprobatum, sic respondet Daventria pag. 181. *Mendacium est impudens quòd docuerint* (Catholici) *hominem propter contritionem absque fide in Christum mereri remissionem peccatorum: Noverunt enim veram contritionem numquam haberi, nisi per fidem charitate formatam, licet per fidem informem, ut jam nunc diximus, atteri possit peccator.*

165. Tilmannus Segebergensis impressit Coloniæ Anno 1538. librum de septem Sacramentis contra Lutherum: & cap. 4. de Sacramento Pœnitentiæ pag. 138. dicit, si charitas adsit, vocari contritionem; sin autem, attritionem dici, ac subjungit: *Et hic quidem dolor pœnitenti ante absolutionem necessarius est, ut per Sacramentum superveniens ex attrito fiat contritus.*

Et rursus paginâ 149. ita loquitur. *Tertiò adfert & dicit Lutherus, scholasticos invenisse, aut, ut ejus verbis utar, finxisse attritionem:* cui sic respondet Tilmannus: *frivola est disputatio de nomine, quando de re constat. Quod addit eos docere attritionem virtute clavium fieri contritionem, & eam virtutem Doctoribus esse ignotam, partim verum dicit, partim falsum. Nam primum, hoc est attritionem superveniente Sacramento fieri contritionem superius ostendimus. Alterum autem falsum est, hanc virtutem clavium Doctoribus incognitam.*

166. Paulus Cortesius item Tridentino antiquior in 4. dist. 3. pag. 88. Ita scribit: *Ad hoc quæstionis genus pertinet, de pœnitentiæ partibus inquirere: quarum quidem enumeratio tripartita est. Earum una, contusio; altera, confessio; tertia, persolutio nominatur. Contusio est angor ob patrata scelera susceptus, cum confitendi & persolvendi voluntate; vel flens animi demissio ex scelerum memoria, ac ex impendentis judicii formidine manans.* Quo loco agens de dolore requisito in Sacramento, nullâ factâ mentione amoris, solùm meminit timoris judicii. Vocat autem contusionem, quia sic appellabant Anabaptistæ, contra quos scribit.

167. Denique his omnibus multò antiquior Gabriel Biel in 4. distinct. 14. quæst. 2, art. 1. opin. 3. ita loquitur ex sententia aliorum: *Quandoque dispositio illa prævia non est sufficiens, sed dispositio quasi à remotis, & hanc vocant attritionem seu pœnitentiam informem, & illa non sufficit ad peccati remissionem: sed superveniens Sacramentum supplet imperfectionem illius attritionis, & confert peccato-*

rum remissionem & gratiam, & per hoc format attritionem, ut mereatur dici contritio: nempe quia per attritionem cum Sacramento idem obtinetur, quod per contritionem: prout etiam explicat Vega, aliique passim. Quòd autem intelligat per attritionem id, quod nos intelligimus, patet ex Distinct. 16. verba retulimus supra num. 11. Item ex iis quæ dicit hoc loco explicans illam insufficientiam per hoc, quòd non fiat propter Deum tamquam finem ultimum, sed propter se & amorem sui, quia peccata sunt inductiva pœnæ, aut impeditiva gloriæ: & tandem eâdem quæst. articulo 2. subjungit: *Quoniam, ut recitatum est in priori articulo, diversæ sunt opiniones: quarum qualibet habet graves viros defensores: sequor nunc opinionem Magistri* &c.

Videri etiam possunt Altissiodorensis in 4. tract. de Sacram: Pœnit. fol. 265. Hervæus in 4. distinct. 14. q. 1. Dionysius Cistertiensis, aliique.

168. Auctoribus ante Tridentinum accenseri posset non immeritò Tapperus; nam licet tempore Tridentini suum opus primùm absolverit, non citat tamen Tridentinum, sed solum Florentinum; unde illius acta videtur nondum conspexisse, adeoque independenter à Tridentino suam tradidisse sententiam. Illum referemus cap. undecimo num. 178.

169. Fuisse qui nostram sententiam traderent circa tempora Lutheri, patet ex Luthero variis locis hanc ut Catholicorum sententiam perstringente: ut in sermone de Pœnitentia, & in captivitate Babylonica Tit. de Pœnit. ubi ait: *finxerunt quamdam attritionem, quæ virtute clavium (quam ignorant) fieret contritio, eam donant impiis, & sic universa contritio aboletur.*

At, inquit Auctor Quodlibeticæ pag. 54. mentitus est Lutherus, dum asseruit, scholasticos docere, quòd attritio servilis sufficiat cum Sacramento. Probat. ass. quia aliàs mentitus esset Joannes Morinus doctissimus & solertissimus indagator; hic enim asserit se neminem legisse qui id docuerit ante Melchiorem Canum, & Henricum quemdam Doctorem Salmanticensem.

170 Resp. omnino immeritò & sine fundamento asseri Lutherum in hoc puncto fuisse mentitum, ut patet ex jam dictis. Nam Luthero respondens Roffensis fatetur Catholicos docere eam sententiam. Joannes à Daventria, qui totus est in annotandis Lutheri & sectatorum mendaciis, ad verba Lutheri ex sermone de Pœnitentia, dicit, sic absolvere non esse irretire, ut volebant hæretici. Tilmannus Segebergensis, ad verba Lutheri ex captivit: Babylonica, dicit, in hoc verè dixisse Lutherum: tantum abest, ut horum aliquis neget, ita Catholicos docuisse, aut dicat Lutherum mentitum.

Verissimè ergo id dixit Lutherus; neque hinc tamen sequitur mentitum fuisse Morinum (prout dicebatur in probatione) sed solummodo,

quòd

quòd in hoc saltem puncto non fuerit tam solers indagator, quàm aliqui autumant.

Patet etiam non subsistere quod habet Auctor Quodlibeticæ, quòd Ludovicus Lopez circa annum 1583. scripserit initio nascentis hujus doctrinæ.

§. 4.

Duo alia Argumenta.

171. PRob. 3. quia si verba Lutheri & Tridentini relata cap. 1. cum invicem componantur, clarum fiet, quòd Synodus illum contritionis modum tueatur ac adstruat, quem rejiciebat Lutherus. Atqui Lutherus loquebatur de attritione, quæ non erat ex charitate, sed ex timore pœnæ; ergo de eadem loquitur Tridentinum. De hac autem attritione declarat Tridentinum, quòd *præparet ad gratiam*, quòd *ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponat:* Utique proximè & sufficienter, ut admittunt illi contra quos disputamus; ergo Tridentinum affirmat illam attritionem sufficere ad justitiam in Sacramento. Idem confirmatur ex eo, quòd ubi Lutherus dixerat attritionem ex metu facere indignos, seu indispositos qui absolvantur; è contra Tridentinum declaret eam attritionem disponere ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam seu reddere dispositos & dignos qui absolvantur.

172. Dices cum Auctore Quodlibeticæ pag. 52. inane esse hoc argumenti genus; quia, si quid probet, sequetur etiam definiri à Tridentino, quòd sufficiat cum Sacramento dolor naturalis. Nam idem est tenor & forma hujus argumenti: Lutherus graviter redarguit Catholicos, quod docerent sufficere attritionem naturalem in Sacramento. Atqui Synodus damnat Lutherum, & approbat doctrinam Catholicorum de attritione; loquitur enim Synodus in sensu, quem Catholicis attribuit Lutherus; ergo declarat attritionem naturalem sufficere.

173. Resp. inanem potius esse hanc argumenti retorsionem. Fateor quidem Lutherum aliis locis, Catholicis & ipsi Leoni X. impegisse calumniam, quòd traderent dolorem naturalem sufficere cum Sacramento, quia nimirum censebat (quod etiam affirmat P. Lupus) illum dolorem esse non posse nisi naturalem. Fecit, quod fecere aliqui in Gallia, qui, quia putant attritionem esse naturalem, nostræ sententiæ Auctores traducunt, quasi asserant sufficere naturalem, cum tamen constet nos oppositum mordicus tueri. Eodem modo Lutherus asserebat Catholicos docere, quòd sufficiat naturalis, id est, quam ipse censebat naturalem. E contra verò Catholici

cum

cum illo disputantes Roffensis & Eckius, ut vidimus n. 134. & sequentibus, constanter urgebant eum actum naturalem non esse, sed supernaturalem. Et ne de hac re dubitari posset, noluit hanc quæstionem Synodus manere indecisam; sed antequam declaret attritionem disponere ad justificationem in Sacramento, pronuntiat illam *esse donum Dei & Spiritus Sancti impulsum.* Insuper eodem capite addit: *Quamobrem falsò calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint sine bono motu suscipientium gratiam conferre.* Declarat igitur id, quod senserant Catholici, nempe illum actum esse supernaturalē: & oppositum dicentes calumniari. At quoad punctum, de quo agimus, nullibi insinuat Synodus calumniatos fuisse hæreticos, dum Catholicis objicerent doctrinam de sufficientia attritionis in Sacramento, neque declarat hanc non sufficere; sed è contra, postquam statuit illam esse supernaturalem, declarat in Sacramento ad justificationem disponere, utique proximè, ut adversarii admittunt. Maxima igitur disparitas est inter utrumque argumentum. Addo Lutherum eodem modo impegisse Catholicis calumniam de naturalitate attritionis, sicuti de ejusdem malitia & hypocrisi, ut patet ex illius responsione ad Artic. 6. Leonis X.

Dices cum eodem pag. 52. licet Lutherus initio suæ hæresis voluerit pœnitentiam concipi debere ex amore, postea tamen docuit eam timore seu terrore concipi, adeoque etiam tenuit sententiam nostram,

Resp. Fateor Lutherum admisisse terrores, hinc tamen non infertur docuisse nostram sententiam, Ostendere debebat Auctor Quodlibeticæ, quòd Lutherus alicubi docuerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem sufficere dolorem de peccatis, & propositum vitæ novæ ex solo motivo timoris gehennæ. Addo, licet verè postea mutasset sententiam, ex verbis tamen Tridentini manifestum est, reprobari id, quod docuerat Lutherus in serm. de Pœnit. vide dicta capite primo.

174. Prob. 4. cum Tappero ad Artic. 4. Ysamberto disp. 14. de Pœnit. art. 5. aliisque ex S. Augustino lib. de catechisandis rudibus. Ubi cum cap. 16. posuisset exemplum instructionis faciendæ illi qui petit baptizari, multùmque laudasset baptizandum, qui respondet, se propter vitam æternam velle fieri Christianum: dixissetque illum cogitare *de vera & certa securitate,* subjungit cap. 17. *Qui autem propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est: cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, & ne frangatur adversis, & in abundantia bonorum terrenorum modestus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens. Qui etiam proficiendo veniet ad talem animum, ut plus amet dominum, quàm timeat gehennam: ut etiamsi dicat illi Deus, utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris,*

sed

sed mecum tantummodo non erit, exhorrescat & omnino non peccet; non jam ut in illud, quod timebat, non incidat, sed ne illum, quem sic amat, offendat; in quo una est requies &c. Hoc loco Augustinus ponit adultum, qui ex timore gehennæ vult fieri Christianus, & ex eodem motivo exhorrescit peccare: & hunc per Baptismum pronuntiat fieri verè Christianum Id autem intelligi non posse de solo valore Baptismi & charactere, sed debere intelligi de illius effectu seu de justificatione patet ex contextu: præmiserat enim initio capitis: *Sunt enim qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines, à quibus temporalia commoda exspectant, aut quia offendere nolunt, quos timent. Sed isti reprobi sunt; etsi ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area usque ad tempus ventilationis paleam sustinet: si non se correxerint, & propter futuram sempiternam requiem Christiani esse coeperint, in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur, quòd in area possunt esse cum frumento Dei, quia in horreo cum illo non erunt, sed igni debito destinabuntur.* Illi de quibus hic agit Augustinus, licet non accipiant fructum Baptismi, ac per hoc maneant reprobi, validè tamen sine dubio baptizantur, & characterem accipiunt; unde dicit eos portari ab Ecclesia, esse in area cum frumento Dei, damnandos tamen, nisi se correxerint: correctio autem, quam exigit, alia non est, quàm ut propter futuram æternam requiem Christiani esse incipiant, quia nempe hac voluntate posita tollitur obex seu defectus dispositionis, quæ ad fructum Baptismi erat necessaria. Quando ergo eos, qui fiunt Christiani propter æternam beatitudinem, vel ne eant in infernum, pronuntiat esse verè Christianos, intelligit quòd fructuosè baptizentur, spem faciens fore ut postea id agant ex amore Dei, quod jam faciunt ex timore pœnæ vel spe præmii,

CAPUT IX.

Solutio eorum, quæ proponuntur in quæstione Quodlibetica.

EXimius P. Farvacques in suo libello plurima proponit ex Synodo Tridentinâ petita argumenta, quibus probare nititur, in dispositione ad Sacramentum requisita necessariò involvi amorem Dei propter se dilecti; quæ cum ordine & more scholastico deducat, nos ejus ductum sequentes iisdem ferè verbis illa proponemus & eodem ordine dissolvemus.

§. 1.

Primum Argumentum.

175. AD Pœnitentiam, quam agi oportet à baptizandis, requiritur, ut *Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant:* ergo illud ipsum requiritur in Sacramento Pœnitentiæ. Antecedens petitur ex Tridentino sess. 6. cap. 6. *Disponuntur autem ad justitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes...... & à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* Quòd autem illa verba, *diligere incipiunt*, intelligenda sint de amore amicitiæ, confirmat ex eo quòd eadem vox *diligere* in canone 3. qui respondet huic capiti, manifestè importet amorem amicitiæ.

pro responsione

176. Not. 1. Hæreticos illius temporis in hoc errasse, quod dicerent, ante justificationem non posse præcedere dilectionem Dei seu charitatem, adeoque nec ad illam posse disponere; patet hoc ex Luthero variis locis, & probat P. Farvacques pag. 6. asserens Concilii scopum hoc cap. 6. fuisse, damnare illam hæresim ac definire, quòd dilectio Dei justificationem possit præcedere, & ad hanc disponere. Concedo huic Auctori eum fuisse

Con-

Concilii ſcopum. Dignum tamen notatu eſt, quòd idem Auctor, quando aliquid reperit in Tridentino, quod ſibi favere arbitretur, incunctanter pronuntiet, eo loco definiri contra hæreticos, quando conſtat hos oppoſitum docuiſſe: & ex eorum errore contrariam mentem Synodi colligat. Quando vero noſtræ ſententiæ Auctores proferunt definitiones Concilii iiſdem ferè verbis conceptas, quibus ſuos errores expreſſit Lutherus, & ex eo contendunt, id damnari à Synodo, quod docuit Lutherus: reſpondet Tridentinum de mente Lutheri ſollicitum non fuiſſe. Vide illum pag. 52.

177. Notandum 2. Tridentinum ſeſſ. 6. non agere determinatè de juſtificatione quæ fit per Sacramentum, ſed de juſtificatione generatim. Manifeſtum id eſt; quia, dum meminit Baptiſmi aut Pœnitentiæ, addit de eorumdem voto. Sic cap. 4. cùm deſcripſiſſet juſtificationem, ſubjungit: *Quæ quidem tranſlatio poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non poteſt.* Et eâdem ſeſſ. cap. 14. agens de lapſis poſt Baptiſmum, ita loquitur: *Unde docendum Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali, eâque contineri non modo ceſſationem à peccatis & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum: verum etiam eorumdem Sacramentalem Confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam.* Atqui juſtificatio, quæ fit per Sacramenti votum, prout hoc opponitur actuali illius ſuſceptioni, eſt juſtificatio extraſacramentalis, ſive per actum vi ſua juſtificantem: ergo.

Notandum 3. vocem *diligere* tum in capite 6. tum in Can. 3. non magis importare actum illum amoris imperfectum, quem adverſarii volunt requiri in Sacramento, & ſine hoc non ſufficere, quàm perfectiſſimum quemque Dei amorem. His prænotatis

178. Reſpondent aliqui per *diligere* intelligi à Tridentino amorem concupiſcentiæ: Hanc reſponſionem multis refutat P. Farvacques; verùm non ſatis efficaciter, præſertim ſi dicatur Synodus loqui de amore abſtrahendo ab amore amicitiæ, & ab amore concupiſcentiæ, ſeu qui involvitur in deſiderio poſthac divinis mandatis obtemperandi. Neque quidquam urget quod adfert, in præcedentibus actum fuiſſe de amore concupiſcentiæ, id eſt, de actu ſpei: nam Tridentinum eodem capite poſt verba relata num. 175. Subjungit: *Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* Hæc tamen dubium non eſt, quin includantur in præcedentibus. Imo illa verba; *moventur adverſus peccata per odium aliquod, proponunt ſuſcipere Baptiſmum & ſervare mandata*, videntur eſſe explicatio præcedentium; in his autem cum nulla fiat mentio Dei propter ſe dilecti, cenſenda eſt Synodus, dum ait, *diligere incipiunt*, loqui indeterminatè de quavis dilectione, quæ contineat deteſtationem peccati commiſſi, propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, & ſervandi reliqua mandata; idque vel ex motivo amoris non accedente Baptiſmo, vel cum hoc ex alio motivo. Vide dicta

num. 14. Item Vegam lib. 6. cap. 28. ubi hac ratione eum Tridentini locum interpretatur. Quidquid sit de hac solutione, quæ sine dubio magnam habet probabilitatem:

179. Resp. Cum ut diximus num 176. assentiente P. Farvacques, scopus Synodi sit definire, quòd dilectio Dei præcedere possit justificationem, nihil urget nos illud *diligere incipiunt:* fatemur enim omnes, quòd possit dilectio præcedere. Quare urgeri tantùm possunt verba sequentia: *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.*

180. Ad quæ Resp. Tridentinum illic enumerasse varia motiva timoris, spei, amoris, ex quorum singulis concipi potest detestatio peccatorum efficax; tum subjungere, *ac propterea*; quod rectè potest sic intelligi; ex horum motivorum aliquo moventur adversùs peccata per odium aliquod; ubi vox, *aliquod*, importat dari odia diversa, quod nec negare possunt adversarii.

Dum autem pergit Tridentinum: *hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet:* omnino gratis id intelliges de sola justificatione in, seu cum Sacramento Baptismi: duplex est enim pœnitentia, quæ agi ante Baptismum debet, nempe quæ sit vel contritio se sola justificans, vel attritio non justificans nisi cum actuali Sacramenti susceptione. Justificatio enim, quæ fit cum solo voto Baptismi, de quo actum erat cap. 4. ejusdem sess. est justificatio non baptizati, adeoque pœnitentia ad illam disponens, est pœnitentia quæ agitur ante Baptismum; imò quæ ante hunc agi debet, quando illius suscipiendi non adest opportunitas.

181. Quærit P. Farvacques quo revelante didicerimus particulam *propterea* referendam ad alia quoque motiva nempe timoris & spei.

Resp. 1. quonam revelante didicit, eo non referri, aut illud *ante Baptismum* importare solam pœnitentiam, quæ actualis Sacramenti consortium postulat ad justificationem, præsertim cum illa sessione passim agatur de justificatione etiam extra Sacramentum?

Resp. 2. id nos didicisse ex Tridentino, quod sess. 14. ex professo agens de Sacramento Pœnitentiæ, ejusque partibus, & promittens doctrinam exactam & perspicuam, quando loquitur de contritione imperfecta disponente ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, ne minimam quidem mentionem facit dilectionis Dei. Ex hoc nimirum loco investigandum est, qualis dolor requiratur in Sacramento potius quàm ex sess. 6. in qua etiam agitur de dispositione ad justificationem extra Sacramentum, ad quam requiri dilectionem Dei nemo negaverit.

182. Respondet aliter Ysambertus disp. 15. de Pœnit. illo cap. 6. agi de sola justificatione, quæ obtinetur sine actuali Sacramenti susceptione: nam

Syno-

Synodus hoc cap. 6. loquitur de illis dispositionibus, quibus positis confertur ipsa justificatio; ita enim inchoat sequens caput 7. *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur.* Atqui si, dum dicit *diligere incipiunt*, id intelligatur de alia dilectione, quàm illâ, quæ per se justificat, verum non erit, quòd dispositionem seu præparationem cap. 6. descriptam justificatio ipsa consequatur; ergo agit de sola dilectione per se justificante. Minor, quæ sola negari potest, probatur: dispositiones hoc ordine enumerat Tridentinum; primum ponit Fidem, deinde timorem, ac spem, postea dilectionem Dei & hinc odium & detestationem peccati, ac denique propositum suscipiendi Baptismum, inchoandi novam vitam ac servandi mandata. Ponamus igitur hominem non baptizatum, jam credere, timere, sperare, Deumque diligere, amore illo imperfecto (quem statuunt adversarii esse dispositionem necessariam in Sacramento) ac deinde ex hoc amore imperfecto peccata detestari, ac denique proponere suscipere Baptismum, novam vitam inchoare, & servare mandata Dei. Has dispositiones juxta adversarios non consequitur justificatio ipsa, cum juxta illos hi actus tantummodo constituant attritionem, quæ non justificat cum solo proposito suscipiendi Baptismum, sed tantùm cum hujus susceptione actuali. Ergo cum Tridentinum dicto loco non facta mentione Baptismi reipsa suscepti, asserat quòd eam præparationem consequatur justificatio ipsa, necesse est ut aliam intelligat dispositionem, nempe amorem Dei, qui cum proposito suscipiendi Baptismum justificat. Eodem modo ostendetur, in sententia eorum, qui nobiscum sentiunt, omnem Dei propter se dilecti amorem justificare; attritionem vero cum Sacramento sufficientem, esse actum ex motivo metus aut alio simili; ostendetur, inquam, Concilium eo cap. 6. non agere de actu attritionis, sed contritionis. Porro de actu per se justificante verissimè dicitur quòd sit pœnitentia, qualem ante Baptismum agi oportet, & quidem determinatè, ut scilicet sit ea pœnitentia, quam justificatio ipsa consequitur: de hac enim ibi est sermo.

Contra hanc responsionem non video quid opponi possit, nisi hoc tantùm, quòd eodem cap. 7. subjungat Tridentinum, causam instrumentalem hujus justificationis esse Baptismum. Verùm facilè responderi potest, quòd Synodus, postquam pronuntiavit ad illam dispositionem consequi ipsam justificationem, incipiat definire quid sit justificatio, nempe non tantùm remissio peccatorum; sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis &c. ac deinde progrediatur hujus, id est, jam descriptæ justificationis causas enumerare: cum autem hujus justificationis causa instrumentalis sæpè sit Baptismus, voluit & hunc recensere, ut causas omnes simul proponeret. & hac ratione (nisi qui forte illud explicare velint de voto Baptismi) respondere debent omnes, quia certum est, quod Synodus illo cap. 6. saltem

simul egerit de justificatione extra Sacramentum, si non de sola, ut dictum est nu. 177. & 179. Ipse quoque P. Farvacques asserit illo cap. 6. contra hæreticos definiri, quod justificationem præcedere possit, dilectio Dei, utique tam illa quæ est contritio, quàm alia; imo de contritione præcipuè loqui debet Synodus, cùm de tali dilectione loquerentur hæretici, qui negabant eam posse reperiri in homine ante justificationem.

§. 2.

Argumentum Secundum.

183. TRidentinum sess. 6. cap. 7. ait: *Fides, nisi ad eam Spes accedat & Charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, qua ratione verissimè dicitur Fidem sine operibus mortuam & otiosam esse, & in Christo JESU neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed Fidem quæ per Charitatem operatur.* Ergo si attritio destituatur omni motu Charitatis, neque uniet perfectè hominem cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficiet.

Resp. negando consequentiam intellectam de illa accedente Sacramento. Neque quidquam probant verba Tridentini allata, cum certissimum sit illa intelligenda de habitibus illarum virtutum. Nam

184. Primò, de actibus, qui ad gratiam disponunt, egerat capite proximè præcedente, & enumerarat actus fidei, spei, & dilectionis; caput verò septimum sic incipit: *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur: quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Postea autem explicans, quænam sint ea dona subjungit: *Per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur Fidem, Spem & Charitatem.* Vide etiam Can. 11. ejusdem sess. quibus locis cum agat de charitate non tantùm quæ infunditur, sed etiam quæ inhæret; loquitur procul dubio de charitate habituali. Adde quòd per gratiam, quam dicit infundi, intelligatur gratia habitualis, adeoque & per dona, quæ gratiæ conjungit, intelligit dona habitualia.

2. Sanctificationis & renovationis interioris, quæ fit per susceptionem gratiæ & donorum, causam instrumentalem statuit esse Baptismum; hic autem nullos in anima causat actus, sed tantum gratiam & habitus.

3. Tridentinum ita concludit hoc caput: *Itaque veram & Christianam*

justi

justitiam accipientes, (id est gratiam & dona quæ postea vocat Fidem, Spem, & Charitatem) *eam, ceu primam stolam, pro illa, quam Adam suâ inobedientiâ sibi & nobis perdidit, per Christum JESUM illis donatam, candidam & immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri JESU Christi, & habeant vitam æternam.* Esse autem stolam loco ejus, quam Adam nobis perdidit, quæ conservetur & proferatur ante tribunal Christi, non convenit nisi habitibus: ergo &c.

185. Atque hinc patet, quis sit sensus verborum, quæ nobis opponuntur: nempe quòd virtus seu habitus fidei, sine habitu Spei & Charitatis non uniat perfectè cum Christo neque corporis ejus vivum membrum efficiat, sive non reddat animam sanctam eâ sanctitate, quæ dicitur vita animæ, & quæ verosimiliter identificatur habitui charitatis, vel saltem sine hoc non infunditur. Quòd item sine habitu Spei & Charitatis, homo non constituatur intrinsecè potens ad quasvis operationes supernaturales. Et ita hunc locum explicat, præter innumeros alios, Cunerus Petri tract. de charitate art. 2. pag. 263. Dum autem addit. *Qua ratione verissimè dicitur fidem sine operibus mortuam esse:* indicat, quòd sicuti in ordine ad vitam spiritualem in actu primo est conjunctio necessaria & dependentia inter habitum Fidei, & habitus Spei, ac Charitatis: sic quoque conjunctionem & dependentiam necessariam esse inter fidem actualem, & alias operationes, tum in ordine ad tuendam vitam animæ jam obtentam, tum ad amissam recuperandam; quia nempe fides actualis, si desint opera seu observatio mandatorum inutilis est ad vitam æternam, & sola fides sine aliis operibus seu actibus nequidem peccatorem ad gratiam sive vitam disponit. Ex hoc loco sic intellecto sufficientissimè confutatur error hæreticorum volentium solam fidem justificare.

186. Denique illud ex Apostolo ad Gal. 5. *In Christo JESU, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur:* intelligendum est de charitate habituali; quòd nempe hæc tribuat operibus dignitatem & efficaciam merendi, quia reddit hominem Dei amicum, adeoque & ejus opera Deo grata & digna, quibus vitam æternam promittat & rependat. Dici etiam potest, quòd valeat fides quæ per charitatem operatur, id est per charitatem Dei aut proximi, sive per observationem mandatorum, quæ hisce duobus charitatis præceptis continentur. Ita hunc locum explanat Cornelius à Lapide, aliique.

§. 3.

Argumentum Tertium.

187. F*Ides sine Spe & Charitate vitam æternam præstare non potest*: ut eodem cap. 7. loquitur Tridentinum. Ergo nec attritio servilis.

Resp. negando consequentiam; nam juxta dicta ad argumentum secundum, agit Tridentinum illo capite de habitibus: verissimum autem est habitum Fidei sine habitu Spei & Charitatis vitam æternam præstare non posse. Et eodem sensu petunt ab Ecclesia Catechumeni fidem vitam æternam præstantem; neque enim Ecclesia per Baptismum confert actus sed habitus, adeoque & soli habitus ab Ecclesia petuntur.

188. Instat 1. Cum Tridentinum dixisset quòd sine Spe & Charitate Fides vitam æternam præstare non possit, addit: *unde & (Catechumeni) statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Atqui servare mandata pertinet ad actus, ergo in præcedentibus per Charitatem intelligit actum, non habitum.

Resp. negando consequentiam. Sensus enim clarissimus Tridentini est, Fides sine habitu Charitatis non potest præstare vitam æternam: quia autem per quodvis mortale, manente habitu Fidei, expellitur habitus Charitatis, monet Synodus Catechumenos verbis Christi, ut servent mandata, si velint ad vitam ingredi: hoc autem manifestum fit ex sequentibus Tridentini verbis: *Itaque justitiam accipientes, eam, ceu primam stolam, candidam & immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Christi, & habeant vitam æternam:* Ecce rationem, ob quam jubentur servare mandata, ut nempe charitatem seu justitiam, quæ prima stola est, conservent immaculatam, & hac ratione vitam æternam consequantur.

189. Instat. 2. Quando Tridentinum dixit quòd petant Catechumeni fidem vitam æternam præstantem, & quòd audiant verbum Christi, *si vis ad vitam ingredi serva mandata*, sine dubio designavit cæremoniam Baptismo præmitti solitam, quam nobis sic exhibet Rituale Romanum: *si vis habere vitam æternam, serva mandata. Diliges Dominum Deum tuum &c.* Ex his firmum, ut inquit, ducitur argumentum: Charitas, sine qua Fides vitam æternam præstare non potest, est illa quæ continetur his verbis: *diliges Dominum Deum tuum &c.* atqui per hæc intelligitur actus charitatis: ergo &c.

Resp. eodem argumento probaret non posse hominem justificari, nisi eliciat actum quo diligat proximum sicut se ipsum; nam Rituale Romanum ibidem

ibidem loquitur de hac dilectione; dicit enim, *serva mandata: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.* Certum autem est ad justificationem in Baptismo non requiri actualem dilectionem proximi, sed sufficere si quis non oderit. Deinde cur ex iisdem verbis non posset quis eodem jure sic arguere? Dilectio Dei ex toto corde, tota anima, tota mente importat amorem perfectum & per se justificantem; ergo talis requiritur pro dispositione ad Baptismum. Cæterum neutra collectio bona est, nam Rituale ibi loquitur eo sensu, quo ostendimus loqui Tridentinum, nempe ad vitam æternam necessariam esse observationem omnium mandatorum, quæ summatim continentur his duobus, dilige Deum, & dilige proximum. Neque dilectio Dei ibi adfertur, quòd ea sit dispositio ad Baptismum, sed quia unum & præcipuum inter reliqua mandatum est de Dei dilectione, quod proinde illo tempore servandum erit, quando urgebit præceptum, sicuti servanda sunt mandata reliqua, in ordine ad hoc, ut suscepto Baptismo ad vitam æternam perveniatur.

§ 4.

Quartum Argumentum.

190. POEnitentia, quam Tridentinum sess. 14. cap. 1. declarat necessariam esse universis lapsis, est pœnitentia reconciliandorum, seu quæ est reconciliatio cum Deo, ut colligitur ex cap. 3. & Can. 1. ejusdem sess. Atqui pœnitentia reconciliandorum debet provenire ex aliquo benevolo affectu in personam offensam. Ergo pœnitentia universis lapsis necessaria, debet provenire ex aliquo benevolo in Deum affectu.

Resp. negando minorem. Cum enim Deus in casu iratus sit peccatori, si Deus iram deponens illum in amicitiam recipiat, jam ex omnium sensu habebitur reconciliatio; imo & ea haberetur si Deus peccatori sine ullo hujus actu gratiam infunderet. Quis, si Petrum iratum Paulo (à quo læsus est) eo adducat, ut Paulo ex animo condonet, Paulus vero nullum foveat odium erga Petrum, imo & firmissimè statuat non gerere in futurum animos inimicos: Quis, inquam, his positis dicet nondum factam esse reconciliationem, nisi prius Paulo persuaserit, ut eliciat actum amoris amicitiæ erga Petrum? Quis umquam dubitavit, quin sit vera reconciliatio, dum quis juxta nostram sententiam cum sola attritione justificatur? An non erit justus, an non accipiet gratiam sanctificantem? Hoc autem erit reconciliari; neque aliter conciliantur infantes; quo modo, quin Deus possit sibi reconciliare adultum, dubium non est.

Confirmatur ex Tappero, qui cum asserat reconciliationem amici & amicitiæ leges requirere, ut mutua fiat inter eos voluntatis benevolentia, eam tamen non aliter explicat, quàm per propositum non amplius peccandi, sed servandi mandata; idque tam in peccatore respectu Dei, quàm in filio respectu patris. Vide Tapperum art. 8. pag. 9.

191. Instat 1. Quòd ad reconciliationem requiratur in eo, qui offendit, benevolus affectus in personam offensam, docent sanctissimæ ipsius naturæ leges: Fingamus dissidium subortum inter conjuges, cui uxor causam dederit, quæ, quia persentiscit incommoda sibi inde provenientia, cupit viro reconciliari. Si dicat, pœnitet me facti ob incommoda quæ patior, & quamvis te nullo benevolo affectu complectar, seu non amem, cupio à te in pristinum favorem admitti &c. Certè hæc non erit idonea pœnitentia reconciliandæ cum marito uxoris &c.

Resp. si illud, non amo, significet (ut sæpe inter homines solet) odi te; non facit contra nos. Si vero simpliciter significet, non adesse hîc & nunc actum amoris amicitiæ erga virum, dico id nullo modo impedire, quo minus in gratiam admitti possit; & retorqueo argumentum. Sit uxor, quæ suâ erga maritum inobedientiâ damnum notabile rei familiari intulerit, ac eapropter habeat maritum graviter sibi offensum; ipsa autem, propter incommoda, quæ patitur, velit viro reconciliari: accedat, & coram marito genuflexa humiliter petat veniam inobedientiæ, spondens se posthac ad omnem ipsius voluntatem promptam fore, & obedientissimam. Quis mortalium dubitat quin hac ratione faciliùs longè veniam sit impetratura, quàm si tantummodo dicat: Mi marite amo te supra omnes viros? Porro in casu, de quo agimus, peccator detestatur peccata commissa, humiliter à Deo veniam petit, ac firmiter proponit omnia Dei mandata in posterum servare, adeoque & amare Deum amore amicitiæ, quando urgebit præceptum amandi, quod quia jam non urget, jam non amat.

192. Addo, non rectè argui ab hominibus ad Deum. Quis enim Rex à subdito graviter offensus, huic remittet, eumque in intimam amicitiam rursus admittet, si ille dixerit se amare Regem supra omnes homines? Certè magis moveretur Rex ad ignoscendum, per insignem subditi humiliationem, vel si subditus Regi vitam servasset, licet id non alio intuitu fecisset, quàm ut pœnam sceleri suo debitam evaderet. Quis maritus uxori, sæpe jam in gratiam admissæ, & iterum iterumque adulteranti, ignoscet? & tamen Deus millies relapsos, dummodo eos pœniteat, rursus ut amicos & filios complectitur. Unde patet quàm inefficax sit in hoc puncto argumentum petitum ab hominibus ad Deum, cujus miserationes super omnia opera ejus.

193. Instat 2. Tridentinum sess. 6. can. 3. sic habet: *Si quis dixerit sine*

præve

præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: Anathema sit. Ubi fidei, spei, & dilectioni subjungit pœnitentiam tanquam ex illis fontibus promanantem. In eodem Can. asserit P. Lupus pag. 10. definiri quòd proxima & sufficiens dispositio in Sacramento debeat esse charitas.

Resp. cum Andrea Vega, ex illo Canone nullo modo colligi posse, dilectionem Dei debere antecedere justificationis gratiam, sed solùm, quòd ad sufficientem pœnitentiam, quæcumque illa sit, opus sit inspiratione Spiritus Sancti, ut manifestum fiet dictum Canonem legenti. Imo staret veritas hujus Canonis, licet ad justificationem nullus requireretur dolor de peccatis, sed tantùm alius quiscumque actus supernaturalis, v.g. solus amor proximi &c. Quod ibidem addit ex Tridentino, quòd omnis pœnitentia debeat esse tristitia secundùm Deum, non plus urget: dicimus enim nostram attritionem esse tristitiam secundùm Deum.

§. 5.

Quintum Argumentum.

194. POEnitentia salutaris debet aliquo modo aversari peccatum ut est offensa Dei, juxta Tridentinum sess. 14. cap. 1. Atqui in odio peccati, ut est Dei offensa, intrinsecè & inseparabiliter includitur amor benevolentiæ erga Deum. Ergo pœnitentia salutaris intrinsecè & inseparabiliter includit amorem Dei.

Resp. ad Majorem, Tridentini hæc esse verba: *ut perversitate abjecta & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur.* Ac proinde non habet particulam reduplicativam *ut* vel *tamquam*, in quo tamen ponitur tota vis argumenti. Porro quis non videat, in idem prorsus recidere, sive quis dicatur detestari peccatum contra Deum factum, sive quo Deum mortaliter offendit, sive detestari tantam Dei offensionem? Sensus ergo verborum Tridentini est, quòd debeat dolere, quòd Deum ad indignationem & iram provocaverit; hoc autem facere potest tam ex motivo spei aut metus, quàm ex motivo amoris, & ex eodem motivo detestari & odisse peccatum tamquam illius in Deo iræ seu indignationis causam, ex qua infligendæ sint pœnæ gehennæ, quas timet.

Ad Minorem Resp. dissidere inter se Auctores, an detestari peccatum ut est offensa Dei, necessariò includat amorem amicitiæ erga Deum, quos tamen puto solummodo in voce dissidere, ut statim videbimus. Cæterum in

hanc rem frustra adferuntur Auctores nostræ sententiæ quoad præsens punctum in diversa abeuntes. Nam qui ex his concedunt detestari peccata, quatenus Dei offensa sunt, involvere amorem; negabunt talem detestationem peccati requiri in Sacramento; qui verò asserunt non includi amorem amicitiæ, facile admittent necessariam esse detestationem peccati ut offensa Dei est. Porro dum ex his assumitur illa propositio; Pœnitentia debet detestari peccatum ut offensa Dei est; ex illis verò: atqui odium peccati ut offensa Dei est includit amorem; contra neutram partem quidquam solidè concludetur.

195. Ut autem melius intelligatur an & quomodo attritus vel contritus detestetur peccatum, ut offensa Dei est

Notandum quòd diversa detur peccati detestatio & odium.

1. Enim potest quis detestari peccatum commissum v. g. luxuriam aut ebrietatem merè, quia fuit sibi causa morbi per se ex tali peccato provenientis. Hic detestatur quidem illos actus, qui peccatum sunt & Dei offensio, sed merè materialiter, & cum nullo ordine aut respectu ad Deum: sed & detestaturus si illæ actiones non essent à Deo prohibitæ aut malæ: unde nulla ratione dici potest detestari peccatum quatenus est contra Deum, aut hujus offensa.

196. Secundò alius detestatur peccatum, quia per hoc Deum provocavit ad iram & indignationem talem, vi cujus velit eum in æternum damnare, quod malum quia timet, dolet se Deum offendisse seu contra Deum peccasse. Hic non ita materialiter detestatur id, quod est offensa Dei seu peccatum contra Deum, quàm faciebat is de quo num. præcedente; sed aliquo modo prout Deum respicit tamquam justum, & punire potentem ac puniturum gehennâ; licet non detestetur ex amore Dei propter se dilecti; ac proinde vero sensu dici potest, quòd talis peccatum contra Deum commissum, sive offensionem Dei detestetur quatenus contra Deum est, & hujus offensa. Hoc sensu rectissimè intelliges illos omnes, qui asserunt debere peccatorem detestari peccatum, quatenus Dei offensa est. Imo sic explicari debent, si iidem nobiscum teneant attritionem ex metu sine ullo actu amoris amicitiæ sufficere in Sacramento.

197. Tertiò denique potest aliquis detestari peccatum quatenus Dei offensio est, hoc sensu, quatenus est læsio & suo modo malum Dei ibi sistendo; & hac ratione intellige illos, qui dicunt in detestatione peccati quatenus offensa Dei est necessariò involvi amorem amicitiæ erga Deum.

198. Porro quia auctor Quodlibeticæ hic primo loco nobis opponit verba Andreæ Vegæ ex libro 6. cap. 30. *Qui Deum agnoscunt nostris peccatis offendi, numquam certè ad ipsius gratiam pervenient, nisi & de ipsis doleant, quatenus offensæ illius fuerunt, & amore in ipsum redeant à quo se mali per ea averterunt.*

Quia inquam, huic pro sua sententia adfert Auctorem, operæ pretium fore duxi, ex illo ipso ostendere, quòd per detestationem peccati ut est offensa Dei, non intelligat aliud, quàm quod nos intelligimus num. 196. & per amorem Dei, propositum solum Deum non amplius offendendi, ex quocumque demum motivo illud concipiatur sive spei aut metus, sive dilectionis Dei.

Nam Vega post verba jam relata subjungit. *Non tamen perinde certum est, qualis & quanta debeat esse hæc dilectio Dei, quam necessariam esse affirmamus ad justificationem nostram. Sed cum divinæ in nos miserationis viscera attentius mecum perpendo, tutò & indubitanter affirmare nos posse crediderim, eam Dei dilectionem, ad gratiam necessariam esse, & sufficere; quæ satis est, ut de lethalibus ejus offensis doleamus, & mandata ipsius servare proponamus. Et ubi tantum in aliquo affectum deprehenderimus, illum hac ex parte ad gratiam idoneè se præparasse, minimè hæsitemus. Neque Sanctos Doctores majus aliquid video requisisse. Et ne sine auctoritate re in tanta loquamur, possumus hoc colligere ex verbis Christi: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum. Hæc verba palam indicant illam dilectionem Christi satis esse, ut diligamur à Patre cælesti, & in ipsius gratia simus, quæ satis est ut sermonem illius servemus.... & sive sit ea dilectio Dei super omnia, sive non, parum refert, modò sciamus hoc quod planissimum est, quodque omnibus possumus securè tradere, sufficere ad justitiam diligere Deum sic, ut de ipsius offensis doleamus, & mandata illius velimus servare.* Ecce quando hic Doctor requirit detestationem peccati ut offensa Dei est, & detestationem ex amore, non intelligit amorem nec affectum alium erga Deum, quàm quo & doleamus de peccatis commissis, & statuamus divina mandata posthac observare. Atqui certissimum est posse peccatorem ex solo motivo metus gehennæ detestari peccata præterita & velle servare omnia Dei mandata, ergo talis detestatur peccata ut sunt offensa Dei, & ex sufficienti dilectione, in sensu quo explicat Vega. Deinde dicit parum referre, sitne ea dilectio Dei super omnia sive non; ex quo constat eum non agere de amore quem requirunt adversarii, hi enim volunt esse debere amorem Dei super omnia.

199. Verùm quid opus est, id ex eo Auctore per consequentiam deducere, cùm id habeamus in terminis ab ipso expressum? lib. 9. cap. 17. pag. 245. ita loquitur: *Tutissima & certissima via nobis data ad justificationem, sunt Sacramenta. Habent enim vel omnia illa, vel certè Baptismus & Pœnitentia, ut accedentibus ad ipsa cum quovis dolore de peccatis, & proposito ea vitandi conferant primam gratiam,* Et rursus lib. 13, cap. 24. in responsione ad object. 3. *Nullus peccatorum perit, qui ante mortem dolet de suis peccatis propter Deum. Sed ideò salutem hominum adimere dicitur, quisquis mortis tempore pœnitentiam ei denegat, quia plerumque per Sacramentum Pœnitentiæ justificantur, qui aliàs perirent. Quia absolutio potest primò justificare, videlicet, cum quis sine tali dolore* (id est propter

 Deum)

Deum) *& cum solo dolore de peccatis propter gehennam, vel alia mala evitanda aut propter alias similes causas, ad confessionem accedit.* Denique eodem libro cap. 34. pag. 538. *Tunc dumtaxat concedendum est, primam gratiam conferri in hoc Sacramento, cum quis dolet de peccatis timore pœnæ imminentis, vel propter mala alia ex illis secuta vel propter turpitudinem ipsorum, vel denique alia quavis ratione, & non quatenus sunt offensa Dei:* in quibus ultimis verbis dolorem de peccatis quatenus sunt offensa Dei, sumit juxta explicationem datam num. 197. adeoque aliter quàm intellexerat lib. 6. cap. 30. Unde patet, dolere de peccatis, quatenus sunt offensa Dei, esse indifferens ad significandam vel attritionem vel contritionem, nisi ex aliis adjunctis determinetur ad significandum potius dolorem ex amicitia, quàm ex metu gehennæ, aut contra.

200. Hinc patet, nihil nos urgeri testimoniis, quæ ibidem adfert P. Farvacques ex Toleto, Tappero, Reginaldo Tannero alijsque requirentibus detestationem peccati ut est offensa Dei: explicandi enim sunt eo sensu quem tradidimus num. 196. & quo intelligit Vega præsertim qui nobiscum sentiunt sufficere dolorem ex metu gehennæ. Unde ut similia testimonia contra nos robur habeant, ostendendum priùs est, quòd dolorem de peccato ut Dei offensa est, sumant in sensu tradito num. 197.

§. 6.

Argumentum Sextum.

201. AD salutarem pœnitentiam requiritur vera cordis ad Deum conversio, de qua Ezech. 18. *Convertimi ad me* &c. Atqui vera cordis ad Deum conversio non potest obtineri, nisi per amorem benevolentiæ, ergo. Primam propositionem probat, quia Tridentinum agens de pœnitentia lapsis omnibus necessaria adfert testimonium illud Ezechielis. Probat etiam propositionem alteram, quia illa verba Ezechielis important conversionem, quæ fiat per amorem benevolentiæ, quo solo certum est potuisse converti Judæos, quos illic Propheta alloquitur.

202. Resp. 1. Si quid hoc argumento probetur, everti quoque sententiam P. Farvacques: nam actus amoris benevolentiæ, quo solo certum est potuisse converti Judæos, fuit is qui per se justificabat. Adeoque si sensus Tridentini sit ille, quem esse vult hic Auctor, nec sufficiet cum Sacramento amor amicitiæ imperfectus; hunc enim affirmat se solo non justificare: ex quo patet quàm inefficaciæ sint similia testimonia petita ex veteri

teri testamento, quæ tamen passim contra nos proferunt adversarii. Quare

203. Resp. 2. negando minorem, & dico dolentem de peccatis ex metu gehennæ, cum proposito servandi omnia Dei mandata, sufficienter converti ad Deum, mente mutari &c. Ad illius probationem Resp. illa verba Ezechielis prout dirigebantur ad Judæos, & simul complectebantur conversionem habitualem, id est, remissionem mortalis ante commissi, importasse sine dubio amorem benevolentiæ, & quidem vi sua justificantem. Eadem tamen illa verba prout dirigebantur ad statum novi testamenti, sive prout à Synodo adferuntur, significant indeterminatè vel contritionem per se justificantem, vel aliam contritionem, quæ nonnisi cum Sacramenti susceptione vim illam habet. Et hoc modo respondere coguntur adversarii.

204. Porro quia ille Auctor rursus in hujus argumenti deductione adfert Vegam, ex ipso Vega audiamus, quid de hac conversione, ac mutatione mentis senserit. Ita loquitur lib. 13. cap. 21. pag. 547. *Tunc verissimè mente mutamur, & aliter quàm prius de ipsis cogitamus, cum illa odimus & aversamur, quę prius placuerunt, & de iis dolemus, de quibus ante delectati sumus.* Et infra pag. 549. *Satis avertitur à suis peccatis, qui de eis vehementer dolet, & ad Deum verè convertitur, quicumque humiliter, & absque complacentia alicujus peccati, misericordiam divinam implorat.* Denique lib. 6. cap. 32. *Christus, dum præcepit Apostolis ut prædicarent Baptismum & baptizarent; adjecit etiam ut docerent servare, quæcumque mandavit illis. Et huc tendunt multa loca Scripturæ, quibus Deus requirit à peccatoribus, ut se ad illum convertant, ut ipse se convertat ad eos. Sicut enim avertimur à peccatis nostris per pœnitentiam, ita convertimur ad Deum per propositum servandi mandata illius.* Ecce quid sit verè ad Deum converti, nempe proponere servare mandata.

§. 7.

Argumentum Septimum.

205. FUit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum Contritionis motus necessarius: ut constat ex Tridentino sess. 14. cap. 4. sed motus Contritionis aliquam Dei propter se dilectionem requirit. Ergo.

Huic argumento responsum est supra num. 143. in fine & num. 144.

Instat. 1. Requiri Contritionem probat Tridentinum ibidem ex iis Scripturæ locis, quæ nequeunt esse vera, nisi cum aliquo benevolo affectu in Deum: ut ex illo Ezech. 18. *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus*

quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum. Atqui qui solo timore pœnæ à peccato abstinet, non projicit à se omnes suas iniquitates, nec facit sibi cor novum & animum novum: prout constat; quia Judæi solo timore pœnę à peccatis abstinentes non projiciebant à se iniquitates suas, nec habebant cor novum.

Resp. 1. retorquendo Argumentum, & sub eadem Majore subsumo, atqui qui ex amore Dei imperfecto (qui in sententia Adversariorum non sufficit sine Sacramento) abstinet à peccatis, non projicit à se iniquitates suas, nec facit sibi cor novum &c. ut patet, quia Judæi tali actu non projiciebant à se iniquitates suas &c. ergo nec sufficit attritio ab adversariis assignata. Ecce idem contra ipsos valet, quo nos impetunt.

206. Resp. 2. Ad Majorem, illum locum Ezechielis tantùm adferri à Synodo, ut probet quòd non sufficiat ad veram pœnitentiam nova vita ejusque propositum, sed insuper requiri odium vitæ præteritæ malè actæ. Cùm enim dixisset utrumque horum semper fuisse requisitum ad veram pœnitentiam, declarat contra Hæreticos; *Hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite à vobis iniquitates vestras* &c. Statuit ergo Synodus contritionem genericè sumptam necessariò complecti hæc duo, odium vitæ præteritæ, & propositum novæ: quod utrumque cum involvat nostra attritio, non video, quid sub illa Majore subsumi possit, quod vel in speciem nos urgeat. Dico ergo attritum projicere à se iniquitates suas in sensu Tridentini, in quantum detestatur peccata commissa, eaque etiam habitualiter abjicere, seu eorum remissionem accipere, accedente insuper Sacramento: facere verò sibi cor novum & animum novum per propositum & inchoationem vitæ novæ. Ita hoc intellexit Andreas Vega lib. 6 cap. 32. in illa verba: *Facite vobis cor novum* &c. ita loquitur, *Certè cor novum & spiritum novum habet, qui cum priùs in transgressione divinorum mandatorum, suæ immemor salutis permanserit, jam novo spiritu concepto, tota animi devotione libenter, promptè & constanter proponit illa servare. Atque ut nemini esset ambiguum, hoc esse cor novum nobis facere & spiritum novum, cum per eumdem Prophetam dixisset Dominus, dabo vobis cor novum & spiritum novum; adjectum est continuò: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini:* & cætera, quæ eodem spectant. Eodem modo id exponit Joannes à Daventria pag. 31. in fine.

207. Instat 2. Qui detestatur peccata ex solo timore pœnæ, adhuc ambulat in vetustate litteræ, non pertinet ad legem novi testamenti; &, ut loquitur pag. 64. timendum est ne permixtio fiat & confusio quædam utriusque testamenti. & similia

Probat ass. quia hæc inter utrumque testamentum est differentia, quòd vetus sit timoris, novum autem amoris.

Resp.

Resp. cum Augustino lib. de Moribus Eccles: cap. 28. tam timorem, quàm amorem esse in utroque testamento: *Utrumque*, inquit, *in utroque testamento est; prævalet tamen in vetere timor, amor in novo.* Cur ergo detestans peccata ex timore pœnæ potiùs spectet ad vetus testamentum, quàm ad novum? inde autem lex vetus lex timoris vocatur, quia retrahebat homines à malo pœnarum temporalium comminationibus, ut loquitur Driedo Tract. 4. de captivit: & redempt: generis humani cap. 2. parte 7. pag. 105. versâ. Adde si denominatio legis timoris & amoris desumenda sit ex dolore requisito ad justificationem peccatoris, jam lex vetus potius dicenda erit lex amoris etiam juxta adversarios, cum illis fatentibus in lege gratiæ requiratur amor minùs perfectùs, quàm requireretur in lege veteri.

§. 8.

Octavum Argumentum,

Dolor cum Sacramento sufficiens debet positivè excludere voluntatem peccandi; atqui hoc non facit attritio servilis. Ergo.

Huic argumento responsum est supra toto cap. 5. ubi evidenter demonstravimus, posse timore gehennæ positivè excludi omnem prorsus voluntatem peccandi.

§. 9.

Nonum Argumentum.

208. Attritio salutaris debet concipi ex illo timore quo utiliter concussi Ninivitæ plenam terroribus pœnitentiam egerunt & misericordiam à Domino impetrarunt: atqui timor ille Ninivitarum non fuit destitutus omni benevolo in Deum affectu. Ergo.

Quàm efficax autem hoc argumentum arbitretur Auctor Quodlibeticæ, declarat, cum subdit: ab aliis tractatum est hoc argumentum, neque scio aliquid responsum esse hactenus, quod Lectori curioso, vel apparenter satisfaceret. Nam neque ipsi qui negant requiri amorem in attritione, audebunt asserere, Ninivitas solius timoris servilis beneficio misericordiam à Domino impetrasse. Quare cum non videam quænam propositio in præsenti argumento vocari possit in controversiam, non est quod pluribus

huic argumento comprobando insistam. Hactenus Auctor Quodlibeticæ.

209. Resp. 1. & sub eadem illa majore propositione subsumo: atqui timor ille Ninivitarum non fuit destitutus dilectione Dei per se justificante. Nam neque Adversarii audebunt asserere Ninivitas solius amoris imperfecti, & non nisi in Sacramento sufficientis beneficio misericordiam à Domino impetrasse. Ergo. Quæro ab illo Auctore, videatne quæ propositio in hoc argumento negari possit? Si affirmet videre se, eâdem operâ videt, quid negari possit in suo. Si non videt; necesse est, ut fateatur in Sacramento requiri contritionem vi sua justificantem.

210. Resp. 2. Majorem illius argumenti negabit P. Lupus, cum enim asserat non semper inchoari debere pœnitentiam Baptizatorum à timore, sic ut soliti Deum amare, si in mortale lapsi sint, non rarò timorem transiliant, & inchoent ab amore; fateri etiam debet amorem in casu non fore semper tam perfectum, ut se solo justificet, adeoque poterit tantùm esse attritio; hanc autem fore sufficientem cum Sacramento non negabit; ergo juxta illum falsum est, quòd attritio salutaris debeat concipi ex illo timore quo concussi sunt Ninivitæ. Porro cum P. Farvacques pag. 13. videatur approbare sententiam P. Lupi quoad punctum jam dictum, etiam hic auctor negare debebit Majorem sui argumenti.

Similiter Auctores nostræ sententiæ negabunt eamdem propositionem; nam juxta hos necesse non est ut attritio salutaris concipiatur ex timore eversionis civitatis, ut per se manifestum est; ergo concipi non debet ex illo timore, quo utiliter concussi sunt Ninivitæ. Neque etiam concipi debet ex ullo timore; sed sufficit ad salutarem pœnitentiam, seu attritionem si concipiatur ex desiderio vitæ æternæ.

211, Resp. 3. negando similiter Minorem. Ad hujus probationem, quòd nempe Ninivitæ non impetrarint misericordiam per solum actum timoris servilis: Resp. si per misericordiam illic cum communi intelligamus justificationem, admitto hanc illos non impetrasse solo actu timoris: sed quid hoc quæso contra nos? nam neque per amorem imperfectum impetrarunt juxta Adversarios. Aliud enim est quærere, qualis fuerit ille timor, quo utiliter concussi Ninivitæ pœnitentiam egerunt; aliud, quis fuerit pœnitentiæ actus, per quem peccatorum veniam impetrarunt. Hic enim fuit actus amoris per se justificantis, qui timori debebat superaddi. Sic nec jam sola attritione ex timore peccator justificatur, sed unà cum susceptione Sacramenti. Unde sicut timor perpulit Ninivitas ut assumerent medium tunc temporis unicum ad impetrandam misericordiam, quod erat contritio vi sua justificans; ita & jam timor gehennæ facit, ut homo adhibeat, quod ulterius ad justificationem requiritur, nempe ut vel Sacramentum suscipiat, vel si hujus desit copia, pergat ad actum contritionis.

212. Quod

212. Quod si fortè id, quod P. Lupus pag. 39. putat de Davide, transferat P. Farvacques ad Ninivitas; quòd nempe extraordinario Dei favore justificati fuerint sine actu contritionis lege statâ per se justificantis; eodem fundamento asseram solâ attritione ex timore pœnæ eos misericordiam impetrasse.

§. 10.

Argumenta quædam ex Tridentino conglobata.

ARguit 1. Tridentinum sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 1. inter præparationes ad justificationem requisitas illam recenset, quæ continetur verbis D. Petri Act. 2 *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum*. Atqui his verbis non continetur sola præparatio per motum timoris; ergo &c. Minorem probat, quia Israëlitæ, quos illic D. Petrus alloquitur erant compuncti spiritu timoris proposito sibi die Domini magno; & nihilominus D. Petrus requirit ab illis pœnitentiam; ergo diversam ab illo spiritu timoris.

Resp. ut hoc argumentum habeat aliquid roboris, probari deberet 1. quòd Israëlitæ compuncti fuerint spiritu timoris; nam illic tantùm dicitur, quòd compuncti fuerint corde; qui autem habet detestationem peccatorum ex amore Dei, sine dubio est compunctus corde. Imo cùm proximè ante præmiserit ibi Petrus, quòd Christum occidissent innocentem, poterat æquè esse compunctio ex commiseratione erga innocentem occisum. 2. probari insuper deberet quòd habuerint timorem qualem nos requirimus; neque enim sufficit timere, ut dictum est num. 13, sed requiritur ut ex timore detestetur peccata omnia commissa, & decernat omnia Dei mandata servare, adeoque & in casu suscipere Baptismum. Quæ quamdiu non probantur, nihil concludit argumentum.

214. Secundò adfert ex sess. 6. cap. 7. *Fides quæ per charitatem operatur*.

Responsum ad hoc est num. 186. Hìc quæro, cùm ibi dicatur nec circumcisionem nec præputium aliquid valere, sed fidem quæ per charitatem operatur, an inquam censeat, nullum actum valere, nisi qui fiat ex motivo Dei propter se dilecti? Hoc ut arbitror non admittet.

215. Tertiò opponit ex sess. 6. cap. 10. *Hoc verò justitiæ incrementum petit Ecclesia, cùm orat: da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum*; ergo in homine justificato præcessit etiam charitas, utique actualis, agit enim Synodus de operibus; *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.*

Resp. illìc agi de Fide, Spe, & Charitate non actuali, sed habituali, ut manifestum fiet vel obiter illud caput inspicienti, nam titulus capitis est *De acceptæ justificationis incremento*, & in decursu capitis dicitur, homines per

obſervationem mandatorum Dei & Eccleſiæ, in ipſa iuſtitia accepta creſcere ac magis juſtificari, & tandem ſubjungit. *Hoc verò juſtitiæ incrementum petit Eccleſia dùm orat: da nobis Fidei, Spei & Charitatis augmentum.* Ubi certum eſt agi de habitu charitatis, ſeu de juſtificatione, de qua loquitur titulus: nec ad aliud fieri mentionem operum, quàm ut oſtendatur per obſervationem mandatorum Dei & Eccleſiæ acceptam juſtificationem augeri. Adde quòd habitus dicatur accipere incrementum, non autem actus. Hinc mihi perſuadeo illud argumentum datâ operâ in turbam conjectum, quòd ſatis videretur non urgere.

216. Quartò opponit ex ſeſſ. 6. c. 11. *Qui ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt;* ſed qui ſuſcipit Sacramentum fit filius Dei, ergo Chriſtum diligit.

Reſp. ſub illa Majore eodem jure ſubſumeret: Sed juſtus non cogitans jam de Deo, vel delirans vel dormiens, aut etiam peccans venialiter eſt filius Dei, ergo Chriſtum diligit. Eodem quoque jure diceret; qui ſunt Chriſtiani confitentur ſua peccata, ergo qui fit Chriſtianus confitetur ſua peccata. Dico ergo illic agi de dilectione, quæ ſita eſt in obſervatione mandatorum, ſeu in non peccando: certum eſt autem ſæpiſſime ſervari mandata ſine dilectione Dei, de qua diſputamus. Et licet eo loco ageretur de actu charitatis, ut ex illo aliquid inferri poſſet, aſſumi deberet hoc modo; nullus eſt filius Dei, niſi qui actu diligit, ergo nemo fit filius Dei, niſi qui diligit: ſed antecedens hoc falſum eſt.

217. Quintò: Tridentinum ibidem; qui operando mercedem intuentur æternam, illud debent ſpectare, ut inprimis glorificetur Deus; ergo qui fugiunt gehennam debent ſpectare ut inprimis glorificetur Deus; hoc autem involvit amorem Dei propter ſe.

Reſp. Tridentinum non dicere quòd ſpectare *debeant* ut glorificetur Deus: ſed tantùm definire, quòd non peccent juſti, dum in ſuis operibus, cum hoc, ut inprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam, ex quo nihil contra nos inferri poteſt. Cæterum oſtendit Tridentinum non eſſe neceſſarium ſimul ſpectare, ut glorificetur Deus, dum Can. 31. qui Canon citato Capiti reſpondet, ſimpliciter definit, non peccare juſtum, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur.

218. Sextò arguit ex ejuſdem ſeſſ. Can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe aut peccatores pejores facere: Anathema ſit:* Ubi Synodus non dicit *propter quem*, ſed *per quem*, ut ſignificet gehennæ metum eſſe quidem principium extrinſecum de peccatis dolendi, non autem cauſam finalem.

Reſp. Quando illud *per* conjungitur alicui, quod poteſt eſſe motivum, paſſim uſurpari pro *propter*, ſeu pro cauſa finali; neque id negare poteſt hic Auctor, cum eodem illo paragrapho ipſe ita utatur: nam pag. 45. poſt medium

dium sic usurpat, dum ait in verbis D. Petri: *Agite pœnitentiam &c.* non contineri solam præparationem per motivum timoris: ubi si illud *per* non significet *propter*, falsa est juxta ipsum illa propositio. Quod autem in Canone 8. *per* sumatur pro *propter*, colligitur ex sess. 14. Cap. 5. Ubi definitur, quòd dolor, qui paratur considerando æternæ damnationis incursum, non faciat hominem hypocritam & magis peccatorem, nec esse dolorem coactum &c. quo loco non addit vocem *per*: & agit Contra Lutherum utens ipsius verbis ex sermone de Pœnitentia; quo loco non aliud dicit, quàm quòd dolor, qui pro motivo habet timorem, faciat hominem hypocritam & magis peccatorem. Vide quæ diximus ad similem evasionem num. 145.

219. Septimò denique sess. 14. cap. 2. Ad effectum pœnitentiæ salutaris pervenire nequaquam possumus, *sine magnis nostris fletibus, ut meritò Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à Sanctis Patribus dictus fuerit.* Quid autem opus est magnis fletibus, si sufficit dolor ex timore gehennæ proveniens?

Resp 1. Quid opus est magnis fletibus, si sufficit dolor ex amore proveniens? cum grave aut laboriosum non sit amare, sed prorsus suave & leve, ut ipsemet probat pag. 62. in fine & pag. 63.

Resp. 2. Quid opus est verba adferre detruncata, quando toto contextu fideliter ob oculos posito, tota objectio in fumum abit? Sic autem dicto loco habet Tridentinum: *Alius praterea est Baptismi & Pœnitentia fructus. Per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentia sine magnis nostris fletibus & laboribus divina id exigente justitia pervenire nequaquam possumus: ut meritò Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à SS. Patribus dictus fuerit.* Agit Tridentinum tum in verbis citatis, tum toto illo capite de differentia inter Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ: quoad dolorem autem requisitum ad utrumvis Sacramentum, nulla est differentia etiam juxta Adversarios. Assignat ibi Synodus expressè diversitatem fructus seu effectus utriusque Sacramenti, quòd nempe Baptismus faciat hominem novam prorsus creaturam, delendo omnia peccata quoad culpam & pœnam, id autem non faciat Pœnitentia, post hanc enim in eum finem assumenda sunt opera tristitiæ & laboris.

CAPUT X.

Satisfit aliis argumentis.

220. OBjic. præterea 1. Tridentinum seſſ. 14. cap. 4. aſſerens contritionem imperfectam ex metu gehennæ ortam, ad gratiam in Sacramento impetrandam diſponere; non addit quòd diſponat proximè, adeoque intelligi poteſt de diſpoſitione remota, quatenus diſponit ad actum alium, qui cum Sacramento ſufficiat.

Hoc argumentum obiter indicat P. Farvacques, additque pleroſque antiquos ſcholaſticos Tridentino viciniores, illa verba interpretatos de diſpoſitione remota; ceterum voluiſſe ſe illud argumentum indicare, ne quid deſideretur; ſibi tamen neceſſe non eſſe ad illud recurrere. E contra P. Lupus tamquam indubitatum ſupponit, eo loco Tridentini agi de diſpoſitione proxima & ſufficiente.

221. Antequam objectioni reſpondeam; præmitto, mirum mihi viſum eſſe, quòd hoc argumentum tamquam ſpecialiter contra noſtram ſententiam faciens, ſuggerere voluerit Auctor Quodlibeticæ. An fortè non vidit hoc argumentum æquè contra ſe facere? id tamen apertiſſimum eſt, quod breviter oſtendo: juxta hunc Auctorem, quando Tridentinum dicit; *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur ...., ſi voluntatem peccandi excludat &c.* intelligitur dolor qui fit ex aliquo Dei amore, nempe tali, quiſcumque ille ſit, qui per ſe ſine Sacramento non juſtificat; ergo ſi Synodus, dum dicit illam contritionem imperfectam ſeu attritionem in Sacramento ad gratiam diſponere, intelligi poſſit aut debeat de diſpoſitione remota, requiretur alia inſuper diſpoſitio, quæ proxima ſit & ſufficiens. Hæc autem juxta illum non poterit eſſe alia, quàm amor Dei per ſe juſtificans; cum omnis alius amor Dei tantùm ſit attritio, adeoque tantùm diſpoſitio remota. Ex quo ſequitur Sacramentum Pœnitentiæ inutile fore ad conferendam primam gratiam. Vidit hoc credo P. Lupus, ac propterea indubitanter pronuntiavit, hìc agi de diſpoſitione proxima & ſufficienti. Nunc ad argumentum.

222. Reſp. non poſſe intelligi de diſpoſitione remota. Ratio eſt

1. Quia Tridentinum hoc cap. 4. agit de contritione, quæ eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ; præmiſerat autem ejuſdem seſſ. cap. 3. hac ratione aliquid dici partem pœnitentiæ, *quatenus in pænitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiritur.* Atqui talis non erit attritio, ſi tantùm diſponat remotè & requiratur alia proxima, nempe amor Dei; hic enim ultimus actus independenter à

priori,

priori, & illo non posito, habebit id, quod Tridentinum requirit in contritione prout est pars pœnitentiæ.

223. Secundò: Tridentinum initio hujus sess. spondet exactiorem, pleniorem, ac perspicuam de hoc Sacramento definitionem; qualem nullo modo traderet, si actus, quem dicit disponere ad gratiam in Sacramento impetrandam, non disponeret proximè, sed remotè dumtaxat, & alius insuper requireretur actus, qui qualis sit ne verbo quidem indicaret, sed nobis relinqueret divinandum: imo nec moneret, hanc tantùm esse dispositionem remotam. Quod quid esset aliud quàm fidelibus ansam præbere periculosè errandi in re tanti momenti?

224. Tertiò: dum dicit attritionem disponere ad gratiam in Sacramento impetrandam, loquitur eodem modo, quo sess. 6. cap. 6. ubi dicit: disponuntur autem ad ipsam justitiam dum credentes timore concutiuntur, sperant, ac Deum diligere incipiunt, proponentes suscipere Baptismum &c. Atqui hìc loquitur Synodus de dispositione proxima & sufficienti; ergo etiam sess. 14. cap. 4. de eadem dispositione loquitur.

225. Quartò: quia aliàs Synodus loquens de attritione perperam faceret hanc oppositionem: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Nam illa attritio per se non posset magis perducere ad justificationem in Sacramento, quàm extra, neque magis disponeret ad gratiam impetrandam in Sacramento, quàm extra illud; cum etiam disponat remotè ad justificationem extrasacramentalem.

226. Instabis. Tridentinum eodem cap. 4. sess. 14. subjungit: *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.* Atqui non impetrarunt misericordiam immediatè per actum timoris, sed tantùm mediatè. Ergo

Resp. negando conseq. Nam illud de Ninivitis non adfertur ad ostendendum quo modo in Sacramento obtineatur justificatio; cùm hic modus sit juxta omnes diversus ab illo, quo misericordiam impetrarunt Ninivitæ. Adducitur ergo ad probandum, quòd metus pœnæ à Deo infligendæ sit actus bonus & utilis, non faciens hypocritam & magis peccatorem, quod ibidem Synodus declararat, & uno dictionis filo subjunxerat disponere ad gratiam in Sacramento. Quòd autem adferatur ad probandum bonitatem actus, manifestum fit ex eo, quòd Synodus statim addat: *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre.*

227. Objic. 2. ex institutione Apostolorum debebant baptizandi profiteri se credere non tantùm Deo, sed etiam in Deum; atqui credere in Deum, juxta Augustinum, est credendo adhærere ad bene operandum operanti.

ranti Deo, est Christum diligere, est sperare, diligere &c. ergo baptizandus (& eadem est ratio de absolvendo) debet Deum diligere. Ita Auctor dissertationis dogmaticæ pag. 12. & pag. 19.

Resp. ut hoc argumentum vim habeat, debere probari, quòd Augustinus per diligere intelligat dilectionem Dei propter se & super omnia; & quòd velit talem dilectionem necessariò adesse debere quoties quis elicit actum fidei, ut possit dici credere in Deum, adeò ut, nisi adsit actualis Dei dilectio, falsò & mendaciter dicturus sit; Credo in Deum. Hoc ubi probatum fuerit, negabo baptismales professiones illud *Credere in Deum* intelligere in sensu Augustini, dicamque illud sumere in alio sensu passim apud fideles usitato. Quis enim umquam existimavit, non posse fideles, sive peccatores sint sive justi, verè dicere, Credo in Deum; nisi, dum eliciunt actum fidei, habeant simul actum dilectionis Dei super omnia? An fortè debebit Ecclesia alterum symbolum concinnare, in quo omnia ponantur in dativo, Credo Deo Patri, Filio & Spiritui Sancto, quod tum in sacro tum alibi recitent illi, qui simul non eliciunt amorem actualem? Porro sensus Augustini tantùm est, vel quòd hoc sit perfectissimè credere in Deum; vel ut summum, quòd credere in Deum, sit religionem Christianam amplecti & proponere illius leges, inter quas una est dilectio Dei, observare, dum urget præceptum;

228. Objic. 3. ex eodem pag. 13. non absolvitur nisi resuscitatus; ergo debet prius diligere; antecedens probat ex Augustino aliisque.

Resp. Patres, dum dicunt non absolvi à sacerdote nisi resuscitatum, intelligere resuscitationem per gratiam actualem, quâ Deus eos movet & præparat ad conversionem: nam apud Catholicos certissima est sententia non debere peccatorem accepisse remissionem peccatorum & gratiam sanctificantem, antequam absolvi possit.

229. Objic. 4. ex eodem pag. 89. si sufficiat cum Sacramento dolor ex metu gehennæ, etiam patibuli, aut regii gladii metus eâdem dignitate & viribus pollebit.

Resp. negando ass. quia timor supplicii humani non excludit voluntatem peccandi; id autem facit timor gehennæ: demonstratum id est cap. 5.

230. Objic. 5. *Qui non diligit manet in morte* 1. Joan. 3.

Resp. illic agi de charitate fraterna; nam subjungit: *qui odit fratrem suum, homicida est* &c. non ergo agitur de actu positivo amoris, sed ut non adsit odium fratris vel injuria illi illata: quo sensu etiam intelligi potest, qui non diligit Deum, hoc est, qui non servat ejus mandata. Porro similibus non immoror, quia illa loca scripturæ passim reperies explicata apud obvios Auctores: sic ut necesse non sit hic repetere. Videri potest Roffensis pag. 382. ubi locum Joannis *Charitas foras mittit timorem: & Timor pœnam habet,* explicat de charitate fraterna.

CAPUT XI.

Quæ fuerit mens DD. hujus Academiæ de attritione ex metu gehennæ.

EXimius P. Farvacques in sua ad Quodlibeticam appendice ostendere conatur antiquam hujus Academiæ doctrinam nostræ sententiæ adversari. Porro licet non exprimat eam sibi favere, id tamen intendit aut intendere debuit, ne aliàs æquè ipse ac nos convincatur ab hujus Academiæ placitis recessisse, & per consequens fateri cogatur, nullam Academiæ in hac parte habendam esse rationem.

Operæ pretium fore duxi examinare & ostendere, multos ex iis, quos contra nos adfert, nobis patrocinari, alios tam ipsi quàm nobis repugnare, vix unum alterumve habere sibi faventem. Tum denique adferam illos qui nostræ sententiæ patrocinantur.

§. 1.

Ad Articulos Universitatis & Adrianum VI.

231. PRofert primo loco contra nos Articulos 3. & 4. editos à Facultate anno 1544.

Tertius est: *Pœnitentia Sacramentum complectitur Contritionem, Confessionem & Satisfactionem.*

Quartus vero: *Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi: non autem (ut quidam hoc sæculo perniciosè docent) terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror & gehennæ metus ad veram animi Contritionem.*

Non video quid hîc sit, quòd monstret Facultatem aut favisse adversariis aut nobis repugnasse. Utrumque enim articulum quoad omnes partes in nostra sententia lubens admitto. Vim ponit P. Farvacques in duobus; quorum primum est, quòd articulus habeat, *Propter Dei offensam.*

Hoc nihil omnino facere contra nos licet satis constet ex num. 196: id tamen ulterius probo ex duobus hujus Academiæ Doctoribus:

232. Primus est Ruardus Tapperus, quem hisce articulis condendis interfuisse vix videtur posse dubitari. Hic autem pag. 110. col. 2. relato prius hoc quarto Academiæ Articulo subjungit: *Complectitur autem Contritio in articulo omnem displicentiam perfectam & imperfectam.* Præmiserat autem ibidem Tapperus imperfectam contritionem esse, quæ oritur ex timore pœnarum

æternarum, hancque à Scholasticis propriè vocari attritionem. Ergo juxta Tapperum definitio Contritionis tradita à Facultate etiam competit dolori de peccatis ex metu gehennæ: adeoque talis dolor est *propter offensam Dei*, unde ulterius patet Tapperum planè repugnare Auctori Quodlibeticæ, qui ubicumque reperit *offensam Dei* vel *propter offensam Dei*, in illis verbis censet contineri amorem benevolentiæ super omnia erga Deum.

233. Alter est Joannes Molanus in Compendio Theol. pract. Tract. 1. de Pœnit. cap. 7. ubi adferens dictam Facultatis definitionem, asserit ab ea non discrepare hanc descriptionem Tridentini; *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Atqui ostendimus supra num. 144. & per se manifestum est, in definitione à Tridentino tradita nihil omnino contineri de motivo amoris Dei propter se dilecti, ergo nec de hoc motivo loquitur Facultas juxta Molanum; aliàs plurimùm inter se discreparent illæ descriptiones.

234. Vim insuper ponit in his articuli verbis, *præparat tamen hic terror & gehennæ metus ad veram animi contritionem.* Verùm neque in hoc quidquam dicit Articulus, quod in nostra sententia verissimum non sit. Statuit articulus pœnitentiam non esse terrores conscientiæ ob apprehensum gehennæ supplicium: id nos non admittimus modò, sed perpetuò inculcamus, quòd terror seu metus gehennæ non sit vera pœnitentia, sed quòd requiratur ut ex illo metu peccator progrediatur ad detestanda peccata præterita, & statuendum futura non admittere. Vide dicta num. 13. Timor tamen ille, ut rectè fert Articulus, præparat ad veram pœnitentiam, id est prout nos cum Articulo docemus, ad dolorem de peccatis præteritis, & propositum confitendi ac satisfaciendi.

235. Aliud ejusdem Facultatis judicium profert ex justificatione censuræ in qua cap. 12. num. 165. sic loquitur Facultas. *Neque illuminatio duntaxat suasoria, neque metus seu terror, etiam pœnarum post hanc vitam luendarum, incussus sufficit ad inchoandam conversionem, sed præterea gratia opus est, quæ cor sic motum atque perculsum inflectat atque emolliat: videlicet illa accedat operatio necesse est, quæ petitur à Divino illo Sanctoque Spiritu, cum dicitur: Riga quod est aridum, flecte quod est rigidum, sana quod est saucium, rege quod est devium. Etenim quidquid intus est, quod suadet tantùm & non persuadet; allicit non adducit, terrore concutit, non amore afficit.*

236. Antequam huic testimonio respondeam, quia credo plerisque ignotum, quænam sit hæc justificatio, & cujus Censuræ; utile fuerit id prius exponere: Præterito sæculo non parva exorta fuit controversia nos inter & Facultatem Lovaniensem circa quasdam, præcipuè de gratia & prædestinatione, sententias, quas nostræ Societatis Professores in scholis tradiderant, & etiamnum docemus. Cumque nostri contra adversæ partis objecta, eas sententias tamquam maximè sanas tuerentur, Facultas eas tamquam offensivas,

peri-

periculosas, & ut accedentes ad varios hæreticorum errores &c. gravi censurâ perstrinxit anno 1586. Ad sedandas has controversias reprimendamqve usurpatam censurandi licentiam, Octavius Episcopus Calatinus Apostolicus in hisce partibus Nuntius, edidit, ac Lovanii 10. Julii 1588. promulgavit Mandatum Apostolicum jussu S. D. N. Sixti V. In quo sententias controversas vocat *sanæ doctrinæ articulos*, ac deinde ita loquitur: *Statuimus & ordinamus ac per Apostolica scripta mandamus, ut nemo cujuscumque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat...... de his assertionibus controversis in alterutram partem ita disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate unius partis assertiones confirmare, alteriusque refellere aut impugnare; vel cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu, de his loqui*, SCRIBERE *aut dictare in posterum attentet, ut ausu temerario eas hæreticas, suspectas, offensivas, & periculosas esse; & qui eas asserunt alicujus hæresis labe aut* SUSPICIONE *contaminatum iri, donec auctoritate Apostolicâ maturè definitæ fuerint, affirmare præsumat. Quòd si quis contra fecerit, sciat se excommunicationis latæ sententiæ pœnam (à qua nisi in mortis articulo, constitutus à nullo præterquam à Romano Pontifice valeat absolvi) incurrisse, & alias pœnas, nobis, nostroque arbitrio reservatas subiturum.*

Concinnavit deinde Facultas *Justificationem seu defensionem censuræ suæ*, & absolvit 9. Septemb. 1588. eam tamen, Mandatum Apostolicum, & adjunctam excommunicationem reverita, non impressit, nec publicavit. Donec tandem elapsis à facta justificatione annis quinquaginta quatuor hoc est anno 1641. aliquis vel aliqui, nec fulmine excommunicationis territi, ac Mandatum Apostolicum flocci facientes, eamdem justificationem typis, ut prætexitur, Parisiensibus evulgarunt. Hæc putavi breviter insinuanda. Nunc ad objectionem

237. Resp. Hoc capite 12. Facultatem agere de gratia sufficienti, assereréque illos, qui non consentiunt, non habere gratiam sufficientem: ac deinde pergit ostendere, ad inchoandam conversionem, nec illuminationem suasoriam, nec timorem &c. sufficere, nisi adsit gratia divina, quæ cor emolliat; quia nempe omnia, quæ sunt sine gratia, alliciunt, sed non adducunt; terrore concutiunt, non amore afficiunt. Quæ omnia non video quid faciant ad punctum, de quo hic disputamus; nisi fortè velit P. Farvacques, quod vox *amor* nullam aliam significationem admittat nisi amoris amicitiæ erga Deum super omnia, quod proculdubio falsum est. Quis enim ignorat, dari amorem virtutis & honestatis creatæ, dari amorem vitæ æternæ &c. qui bonus sit & ex gratia procedens? frustra ergo nobis opponit ea testimonia in quibus nudè requiritur amor, ut jam vidimus, & ex Cunero Petri infra fusius ostendemus: vide etiam supra num. 14. ex Sylvio aliisque.

238. Producit §. 2. Adrianum VI. Verùm cum hic apertè propendeat

in ſententiam aſſerentem, quòd ſacerdos in hoc Sacramento tantùm declaret hominem ſolutum vel ligatum, non conferat autem primam gratiam, hinc autem conſequatur eumdem dolorem requiri in Sacramento, & extra: quid mirum, ſi requirat dilectionem Dei? Unde Auctor hic nec noſter eſt, nec Adverſariorum.

§. 2.

Quid ſenſerint ii, quos adſert Paragr. tertio.

239. PRimo loco nobis opponit Franciſcum Sonnium tract. de Pœnit. cap. 6. ita loquentem: *Conteritur autem atteriturve, quando peccator incipit ſibi ex corde diſplicere ſuper turpitudine & pravitate commiſſorum, atque ſeriò odiſſe malè actam vitam, commemorando ſecum quòd fontem bonitatis perdiderit, quòd mortem invenerit, quòd funibus ad interitum illaqueatus exiſtat. Quæ ſanè ſi faciat prorſus ex amore ad bonum Deum, cum fiducia inveniendæ reconciliationis per Chriſtum, eſt Contritio; ſin autem remiſſè, vel ſolo metu pœnæ evadendæ, eſt attritio, non efficiens veram pœnitentiam, attamen ad illam præparans.*

Reſp. illum Auctorem æquè repugnare adverſariis quàm nobis. Nam illo loco dolorem qui elicitur *prorſus* ex amore Dei, vocat contritionem, & attritioni opponit; atqui juxta adverſarios non requiritur in Sacramento contritio, prout hæc attritioni opponitur; ergo. Deinde, dum dicit: *ſin autem remiſſè, vel ſolo metu,* illud *remiſſè* opponit particulæ *prorſus*, adeoque intelligit dolorem ex amore Dei remiſſo ſeu imperfecto; hunc autem pronuntiat non efficere veram pœnitentiam: adverſarii autem affirmant amorem imperfectum eſſe veram pœnitentiam. Alterum locum ex eodem Auctore citatum non reperio. Porro in illo non magis agit de dilectione imperfecta, quàm perfecta.

2. Adfert Ruardum Tapperum, ſed hunc à nobis ſtare oſtendemus infra §. 8. num. 178.

240. Tertiò Martinum Rythovium, ſed in manuſcriptis, quem proinde inſpicere non potui: Neque etiam neceſſe id fuit: nam in primo teſtimonio ſolùm dicit timorem non eſſe veram pœnitentiam, quod & nos fatemur, vide dicta num. 234. ad Articulos Facultatis. In altero teſtimonio tantùm exigit, ut accedat bona voluntas; hanc & nos exigimus, nempe ut ex timore deteſtetur peccata commiſſa, & decernat poſthac mandata Dei obſervare.

241. Quartò Janſenium Gandenſem. Concord. Evangel. cap. 55. & 13. Verum cap. illo 55. ſolùm oſtendit quis actus ſit perfectior, atque Chriſtum non præcepiſſe ut agamus ex timore ſervili, ſed tantùm monſtraſſe, ſi timere quis velit, potiùs timendam gehennam, quàm mala temporalia.

poralia. Cap. verò 13. agit contra Hæreticos objicientes, quòd Theologi statuerint contritionem esse partem pœnitentiæ contra Scripturæ morem, quos falsitatis redarguit ex illo Joannis Bapt. *Pœnitentiam agite:* aitque in his verbis includi detestationem peccatorum ut offensiva Dei sunt & ut excludentia à regno cælorum. Porro detestari peccata ut offensiva Dei, non importare necessariò amorem amicitiæ sæpe jam ostensum est. Deinde id patet ex ipso Jansenio, dum addit, & ut exclusiva è regno cælorum, hoc autem propriè est motivum nostræ attritionis. Denique licet ibi ageret de amore amicitiæ erga Deum, non faceret contra nos; alloquitur enim Joannes eos, quibus ad veram pœnitentiam necessarius erat actus dilectionis Dei per se justificans.

242. Quintò adducit Joannem Hesselium, sed in dictatis, quæ proinde inspicere non licuit. Hoc ex illo Auctore nobis contra adversarios favet, quòd agnoscat vim timoris ad excludendam voluntatem peccandi, ad quam declarandam adfert illud Eccli. 7. *memorare novissima tua & in æternum non peccabis.* Vide illum in confutatione fidei specialis pag. 4. col. 2.

243. Sextò Joannem ab Hassele. Verùm ex hoc nihil aliud profert, quàm quòd dicat ad pœnitentiam requiri *Contritionem.* Hoc autem & nos admittimus, nam contritio genus est, cujus species sunt contritio antonomasticè dicta, & attritio. Si dicas eum requirere contritionem prout hæc attritioni opponitur, jam hunc Auctorem constat sententiæ adversariorum contradicere.

244. Septimò opponit Judocum Ravesteyn dicentem: *Scripturas generales, quæ promittunt omni credenti salutem, non esse accipiendas de qualibet fide, sed de fide quæ parit veram & sinceram pœnitentiam, non ex pœnæ & damnationis tantùm timore, sed ex vero & sincero erga Deum amore &c.*

Resp. clarum esse quòd hic agatur de Contritione per se justificante, quia de hac sola veræ sunt Scripturæ generales, promittentes omni sic credenti salutem. Quoad illos enim qui habent fidem, quæ tantùm pariat vel attritionem nostram, vel etiam adversariorum attritionem ex imperfecto amore (quæ juxta illos non justificat sine Sacramento) non potest omni sic credenti promitti salus, cum possit quis habere fidem cum attritione, & tamen defectu Sacramenti damnari.

Alter locus, quem ex eodem Auctore commemorat, nobis non adversatur; cum ibi tantùm requirat aliquam Dei dilectionem & amorem justitiæ: hoc enim non facit contra nos, ut sæpe jam diximus, & patebit ex Cunero Petri statim adferendo.

§. 3.

De Cunero Petri, & Rosemundo.

245. PAragrapho 4. producit Cunerum Petri Leowardiæ Episcopum: qui in opusculo de Charitate Articulo 2. pagina 263. ita loquitur: *Quamvis igitur in pœnitentia, quæ justificationem & reconciliationem præcedit, semper nonnulla dilectio justitiæ, & amor Dei conjungitur (nam quomodo potest capax esse justitiæ, & amicitiæ Dei, qui nullo modo diligit justitiam vel Deum?) plurimùm tamen vera charitas ab ista præcedente dilectione, sicut ex primo patet articulo, secernitur: nam sine generali amore, neque pœnitentia, neque spes (quæ pœnitenti necessaria est) concipi potest; qui enim dolet de peccato debet contrariam amare justitiam.*

Profectò si studio pro nobis contra se Auctores conquisivisset, hunc protulisset; Cunerus enim manifestè censet, ad veram pœnitentiam non requiri amorem amicitiæ erga Deum, ut patebit tum ex verbis jam relatis, tum ex articulo primo ad quem remittit lectorem.

246. Primum igitur Articulum sic orditur Cunerus pag. 244. *Verissimum quidem est pro eodem à Sanctis Theologis poni charitatis & amoris nomina, sed cum variæ sint amandi rationes, & diversi charitatis & dilectionis modi, gravissima quæstio est, quomodo Deum diligere debeamus; &, quando in Scripturis charitas prædicatur, an nihil aliud, quàm generatim amor seu dilectio commendetur.* Subjungit hunc amorem à Theologis dividi in amorem amicitiæ & concupiscentiæ; ac pag. 246. prosequitur: *Diligimus autem ipsum propter sese, quoniam propter bonitatem, quâ per se non solum bonus est, sed ipsa charitas & bonitas intelligitur. Diligimus & sancto quodam amore concupiscentiæ.... Nam charitas, ut pulchrè Bonaventura, duplicem motum amoris habet, sanctæ videlicet concupiscentiæ, quâ Deum super omnia bona concupiscit; & filialis cujusdam benevolentiæ, quâ Deo super omnia cultum & honorem cupimus & obedientiam deferimus.*

Ex his facilè ostendetur Cunerum à nobis stare: nam

247. Primò affirmat artic. primo, charitatem generatim sumptam complecti varios modos dilectionis, inter quos recenset amorem concupiscentiæ; ac deinde artic. 2. ad pœnitentiam tantùm requirit nonnullam dilectionem, quam vocat dilectionem generalem, eamque affirmat à vera charitate plurimùm differre; ergo non plus requirit quàm amorem concupiscentiæ.

248. Secundò iis verbis quæ nobis objiciuntur, dicit non tantùm pœnitentiam, sed & ipsam spem non posse concipi sine amore illo generali; & pag. 269. asserit sine amore fieri non posse, ut quis flagitet Sacramenta. Atqui certissimum est, posse hominem sperare seu desiderare beatitudinem,

posse

posse item flagitare Sacramenta, licet non habeat actualem amorem amicitiæ in Deum super omnia dilectum. Ergo &c.

3. Post illa verba, *qui enim dolet de peccato debet contrariam amare justitiam* immediatè subjungit, *nemo sperat aliquid quod non diligit:* dilectio autem necessariò reperta in omni spe non est amor amicitiæ, sed concupiscentiæ; ergo.

249. Quartò idem constat evidentissimè ex iis quæ habet pag. 264. paulò post verba proximè adducta: *Patet etiam ad veteres quæstiones responsio, quæ de Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ moveri solent; utrum adultis per hæc Sacramenta, quando actu percipiuntur, culpa peccati remittatur: An verò hæc semper ex voto Sacramentorum, propter dilectionem, quæ pœnitentiæ jungitur, actualem Sacramentorum perceptionem præcedat: Quia enim vera charitatis natura, à generali dilectionis modo non distinguebatur, natæ sunt controversiæ, quibus nonnulli doctores miris his modis implicantur: cum enim Apostolus virtutes Theologicas ennumerans Fidem, Spem, Charitatem, hanc tertio loco præcedentibus majorem pronuntiat, palam est aliam Charitatem Scripturis commendari, quàm vulgarem amorem, cujusmodi etiam Spem præcedit, & sine quo Spes esse non potest.* Ergo juxta illum in Sacramento non requiritur illa Charitas quæ est major Fide & Spe, sed generalis amor, qualem nos statuimus, & negant sufficere adversarii.

250. Quintò denique cum ostendisset aliquem actum cum solo voto Baptismi justificare, non tamen omne votum sufficere, sed aliquos Baptismum desiderantes, deficiente ministro damnari, hanc ejus rei adfert rationem: *Id quod inde accidit, vel quoniam imperfectâ pœnitentiâ decedunt, quæ solet attritio vocari, & sine Sacramento per se ad justificationem non sufficit..... verùm sive quis pleno corde conteratur, sive imperfecta hac pœnitudine ex turpitudine peccati vel gehennæ & pœnarum metu atteratur &c.* Hic manifestè censet attritionem ex metu sufficere, ponit enim casum, quo in extrema necessitate multi ad ecclesiam concurrunt, alii Baptismum, alii reconciliationem flagitantes, asseritque magnum exitium sequi eos, qui defectu ministrorum vel non baptizati, vel non absoluti moriuntur; magnumque esse fidelium luctum ob illorum perditionem; causam autem perditionis assignat, quòd cum tantùm habeant attritionem ex metu gehennæ, defectu ministri non suscipiant Sacramentum. Ergo juxta Cunerum fuerant salvandi, si Sacramentum accessisset.

Quare hunc Auctorem bonâ, ut speramus, adversariorum veniâ nostris partibus adscribemus.

251. Succedit Godescalcus Rosemundus Auctor Tridentino antiquior; ex hoc nobis opponitur ex cap. 11. de Contrit. art. 1. fol. 209. *Contritio est dolor de peccatis voluntariè assumptus &c. Ex dicta definitione Contritionis elicio primò, quòd non est vera pænitentia, neque Contritio, quam plures in extremis videntur habere; qui principaliter & magis timore mortis & gehennæ, quàm propter Dei offensam peccata sua & vitam peractam videntur detestari & deplangere*

Non

Non video quid hoc testimonium nobis vel in speciem possit obesse. nam

1. Loquitur hîc de Contritione prout distinguitur ab attritione, hujus enim articuli titulus est, *Quid sit Contritio:* articuli verò proximè sequentis titulus est: *Articulus 2. de Attritione.* Attritio autem ex metu gehennæ sine dubio non est contritio, prout hæc attritioni opponitur, & alteram contritionis in genere speciem constituit.

2. Agit illic de magnis peccatoribus, quorum pœnitentia in extremis, ex quocunque demum motivo videatur esse, dubia semper ac suspecta est habita. Hunc esse sensum Rosemundi constat ex iis quæ post verba relata subjungit: *Hoc maximè accidit & regulariter in his, qui in flore juventutis & tempore sanitatis Dei obliti sunt* &c. & articulo 3. agens de difficultate contritionis, *Arduum* est, inquit, *& valde difficile, præcipuè mole pravæ consuetudinis & peccatorum multitudine in imo vitiorum depressis, agere veram pœnitentiam, & habere dolorem sufficientem, qui sit contritio.* Quo etiam indicat se agere de contritione prout attritioni opponitur. & pag. 112. adfert illud Augustini: *Timendum est de pœnitente sero.*

3. Quòd nostram attritionem agnoscat etiam esse veram pœnitentiam seu contritionem constat ex fine articuli 3. ubi contritionem hoc modo describit: *Contritio est compunctio & humilitas mentis cum lacrymis veniens de recordatione peccati & timore Judicii.*

§. 4.

De Estio, Lindano & Gravio.

252. Estius adversariis æquè adversatur quàm nobis; requirit enim in Sacramento contritionem, quæ etiam sine Sacramento actu suscepto justificet, quando necessitas excludit Sacramenti susceptionem, ut loquitur loco nobis objecto in 4. dist. 16. §. 9. in cujus fine ad argumentum Scoti, quòd sic per institutionem Sacramenti nihil nobis præstitum videatur, respondet, hoc præstitum esse ut per Sacramentum quodammodo certi & securi efficiamur de reconciliatione. Et distinct. seq. §. 2. docet, Contritionem charitate perfectam, de qua loquitur Tridentinum sess. 14. cap. 4. rarò justificare ante actualem sacerdotis absolutionem, quod damnatum fuit in Baio, quem Estius magistrum habuit. Hæc omnia, ni fallor, procul absunt à sensu Auctoris Quodlibeticæ. Fateor ergo libentissimè dissidere nos ab Estio; qui, ut nostram attritionem rejiceret tamquam insufficientem, motus fuit hâc evidenter falsâ ratione, quòd dolor ex motivo gehennæ non possit excludere voluntatem peccandi, uti sæpe repetit illo §. 9.

253. Venio ad Guilielmum Lindanum, ex quo nobis objiciuntur sequentia.

1. Apud Ederum lib. 5. ait: *Fides uti ad salutem non sufficit, ita nec ad impii justificationem. Desiderat enim veram animi conversionem, seu Contritionem, Confessionem & satisfactionem, tres Evangelicæ Pœnitentiæ partes.*

2. Ibidem: *Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus cum proposito confitendi & satisfaciendi.*

3. Lib. 4. Panopliæ Evangelicæ cap. 64. *Proinde facessat novum istud novæ contritionis figmentum, quod meros animi horrores, & terrificas conscientiæ carnificinas somniat, quasi vero hisce rebus perficiatur contritio, non inchoetur tantum. Quare dum adversarii istos horrores omnibus Scripturæ locis affingunt & suis semper obtrudunt; quid aliud, quam judaico supercilio ad servilem eos metum alligant.*

254. Resp. primum testimonium non facere contra nos. Fatemur enim Contritionem esse partem pœnitentiæ, sed prout genus est ad contritionem antonomasticè dictam & attritionem, ut patet ex Tridentino, & scriptoribus omnibus, ac ipso Lovaniensium Catechismo.

Ad 2. Resp. dolorem propter Dei offensam non includere amorem amicitiæ, ut jam sæpe ostensum est. Vide supra num. 196. & 232.

255. Ad 3. Resp. quod ibi dicit Lindanus, verissimum est in nostra sententia; quòd nempe nudus timor seu merus terror non sit pœnitentia: necesse enim est detestari peccata commissa, & proponere vitam novam. Hanc autem esse mentem Lindani, manifestum est: nam cum cap 63. dixisset hæreticos duas statuisse pœnitentiæ partes *Contritionem & fidem: illam non aliud, quàm horribiles animi terrores ob gehennæ metum: hanc conscientiæ consolatricem*; progreditur cap 64. ad expositionem Apostolicæ & Catholicæ doctrinæ de Sacramentali Pœnitentia; contentusque unico Augustini testimonio, quod recitat subjungit: *Hujusmodi ergo est vera pœnitentiæ contritio, quæ dolorem de offensa Dei habet, peccatis ad ulciscendum lacessiti, vitamque in melius commutat, ideoque ad Antistites accedit clavium Ecclesiæ ministerium requirens.* Tum statim pergit: *Proinde facessat novum istud* &c. supra.

256. Ex his pro nostra sententia sic licet argumentari. Dum hæreticis volentibus Contritionem esse meros terrores animi ob metum gehennæ, Lindanus opponit Apostolicam & Catholicam definitionem Contritionis, tantummodo meminit doloris de peccatis commissis, commutationis vitæ in melius, & accessus ad Sacerdotem; ergo inde rejicit terrores quos statuebant hæretici, quòd non complecterentur & detestationem peccati & inchoationem seu propositum vitæ novæ.

257. Deinde in sua illa definitione Catholica ne minimam quidem facit mentionem Dei propter se dilecti, sed è contra Dei ad ulciscendum lacessiti, quod est motivum timoris. Imo in testimonio, quod adfert ex Augustino

gustino libro de utilitate Pœnit. (quo solo, ut inquit, contentus est ad stabiliendam contra hæreticos contritionem Catholicam) nec per umbram fit mentio amoris Dei, sed ubique timoris extremi judicii & pœnarum gehennæ. Locum Augustini ex Lindano transcribo; *Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ, si timet illud, quòd oportet nos exhiberi ante tribunal Christi: atque ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor.... versetur ante oculos imago futuri judicii, cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna, quâ percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam..... Judicet ergo seipsum homo in ista voluntate, & mores convertat in melius, dùm potest, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur.*

258. Quæro, cum in his omnibus nulla fiat mentio motivi amoris Dei, sed solius metus, an non ineptissimè hæc attulisset Lindanus ad confutandum dogma hæreticorum, si hæretici per terrores intellexissent actum, quo quis ex timore gehennæ detestatur præterita peccata, & proponit vitam in melius commutare? Quæro, an, dum tradit definitionem pœnitentiæ Sacramentalis, quæ Apostolica sit & Catholica, potuerit nulla facta mentione amoris, solum ubique inculcare motivum metus? nisi censuisset juxta Catholicos sufficere cum Sacramento, quòd quis ex motivo metus peccata priora detestetur, & proponat in posterum non peccare.

Quare non videtur dubitari posse, quin Lindanus nostræ sententiæ palam patrocinetur. Quod etiam confirmari potest ex verbis quæ subdit post ea quæ nobis objiciuntur. *Proinde Catholici rectius Augustini doctrinam secuti aliorumque veterum, hoc contriti cordis sacrificium à perhorrenda tremendi illius judicii veritate exorsi, mores veteres in melius jubent commutare.*

259. Proximus adfertur Henricus Gravius: Hunc auctorem non habemus & conquisitum apud Bibliopolas reperire non potui, quibus ne de nomine quidem notus est. An fortè est manuscriptus? Quare ad ejus testimonium non respondeo; hoc solummodo notatum velim, quòd verba, quæ ex ipso adferuntur in Appendice, non contineant sententiam adversariorum.

§. 5.

De Jacobo Baio, Latomo, Joanne Beets, & Joanne Briaert.

260. JAcobus Baius lib 2, cap. 31. Contritionem definit dolorem animi de admisso contra Deum peccato, cum proposito non peccandi de cætero & confitendi. Displicentiam autem peccati ex solo gehennæ metu ortam, asserit non mereri nomen contritionis; quod non rectè stat cum Tridentino; hoc enim contritionem genericè sumptam dividit in contritionem

per

perfectam & attritionem, conceptam scilicet ex metu gehennæ: quod autem addit ibi involvi amorem, supra refutatum est. Porro hujus Auctoris præcipua ratio tum hîc, tum cap. 84. hæc est, quòd displicentia peccati ex solo metu gehennæ non possit excludere voluntatem peccandi, sed sola peccata externa; adeoque nititur principio evidenter falso, ut demonstratum est supra, & patebit ex Driedone §. sequenti.

261. Jacobus Latomus circa annum 1520. scripsit contra Lutherum: ex quo hoc contra nos testimonium adfert Auctor quodlibeticæ ex artic. 3. de Pœnit. pag 27. *Ex his patet, quòd is, qui timore pœnæ legem servat, quamvis non faciat bene, facit tamen minus malè, quàm si ipsam quoque pœnam contemnens legem transgrederetur. Item quòd in principio metu fit, assuefactione levius factum, voluntariè tandem fiet, ut timor transeat in amorem, quemadmodum lex Moysi duxit ad Christum.*

Resp. Latomum illîc loqui de timore pœnæ à judice humano infligendæ, nam ibidem præmiserat, multitudinem rectè coërceri legibus pœnalibus, idque probat ex Augustino lib. 2. adversus litteras Petil. cap. 83. ubi Augustinus agit de legibus imperatoriis contra hæreticos latis; subdit autem Latomus: *sic servos & filios metu continemus à malis.* Deinde quando dicit timorem transire in amorem, merè gratis id interpretaberis de amore Dei propter se dilecti, quasi vero non detur amor virtutis, qualem habet is, qui ex timore pœnæ vult omnia bona opera præcepta in posterum exercere. Atque hæc ostendunt, Latomum non esse nobis contrarium.

262. Videamus nunc quantopere nostræ sententiæ in eodem illo articulo faveat.

1. Pag. 26. sub finem, exemplum filii prodigi applicans animæ pœnitenti, in illis verbis: *fac me sicut unum de mercenariis*; agnoscit amorem mercenarium, qui nondum est charitatis, sed ex privata sui affectione procedens sollicitudo mercedis, quem affectum dicit relinqui, dum pater accurrens osculatur, unde filius dicit, pater peccavi &c. *Hîc*, inquit, *cupiditas charitate superata est, & affectio commodi cessit amori justitiæ. Jam attritio facta est contritio, & hoc per osculum paternum: Quod, licet divinam significet charitatem, tamen sine præjudicio melioris sententiæ etiam convenienter accipi potest reconciliationis Sacramentum, sive sacramentalis absolutio, ubi redditur stola prima, id est, charitas* &c. quibus indicat solam affectionem commodi seu mercedis, id est, attritionem fieri contritionem per osculum paternum, id est, ut explicat, per sacramentalem absolutionem: neque dici potest in illa affectione commodi involvi amorem Dei, nam tunc esset cupiditas commodi superata charitate; unde nec adderet suæ assertioni, *sine præjudicio melioris sententiæ*, id dici convenienter.

263. Secundò ibidem pag. versa: *Sed sunt quidam duri, qui blanditiis & facilitate non emendantur. Ideo est alius modus quo anima peccatrix reducitur ad justitiam per ti-*

per timorem ortum ex sui amore. Iste modus reducendi habetur Matth. 18. in parabola de Rege, qui voluit rationem ponere &c. unde servus perterritus, ad supplicandum conversus est & meruit remissionem: atqui hic servus ex solo timore supplicans, sine alio suo ulteriori actu obtinuit veniam, adeoque censet Latomus etiam dolentem ex metu sine ulteriori actu charitatis veniam impetrare.

264. Tertiò subjungit: *Habet quidem Deus alios modos, quibus peccatores ad se reducit, sed hi duo sunt usitatiores & nobis notiores. Ex quibus infero quòd Lutherus inconvenienter alterum ex his duobus improbat, dum vult eam solam esse veram pœnitentiam, quæ ex amore justitiæ vel virtutis ortum habet....est quidem ea vera pœnitentia, sed non sola* Lutherus in sermone de Pœnit. statuebat duplicem pœnitentiam; unam, quæ pro motivo habebat pulchritudinem virtutis, & hanc solam volebat reddere dispositos ad absolutionem; aliam verò, quæ pro motivo haberet evasionem pœnæ, non reddere dispositos. Latomus verò, præfatus se hic agere contra sermonem Lutheri de pœnitentia, asserit, illam ex amore virtutis esse veram pœnitentiam, sed non solam; adeoque censet veram etiam esse pœnitentiam, quæ concipitur ex timore gehennæ; adeoque reddere dispositum & dignum absolutione, quod negabat Lutherus.

265. Octavus est Joannes Beets multo antiquior Tridentino, qui expositione 4. in 3. præcep. c 5, ait: *Confessio debet esse voluntaria..... ex eadem conditione sequitur, quòd debet fieri cum vera contritione & charitate, sive ex timore filiali, & non servili, quia timor servilis quodammodo cogit, sed filialis hominem liberum facit.*

Resp. 1. illum non distinguere inter charitatem perfectam & imperfectam, adeoque non favere adversariis; fortè enim cum quibusdam antiquis tenuit, eumdem dolorem requiri in Sacramento, qui justificat extra Sacramentum.

Resp. 2. fortè sumit charitatem latè, juxta explicationem Cuneri supra, cujus aliquod indicium est, quòd eodem cap. afferat: *licet enim dolere debeat propter peccatum quod commisit, debet tamen gaudere propter vitam quam recuperat, & ita ex gaudio voluntariè confiteri.* Si gaudium (& idem est de spe) recuperandi vitam seu gratiæ seu gloriæ facit confessionem esse voluntariam, & non quasi coactam; quomodo ex eo, quòd confessio debeat esse voluntaria, sequitur quòd determinatè debeat esse ex charitate Dei?

266. Nonus est Joannes à Briaert, qui Quodlibeto primo admittit; *quòd ille, qui cessat à peccato iniustæ detentionis, ne pœnas inferni cumulet, non benefecit, quia cessat peccaminosè.*

Verùm hæc sententia manifestè est erronea, ut fatebitur ipse Auctor appendicis, adeoque me ei non consentire libens admitto.

§. 6.

De Joanne Driedone.

267. Decimus est Joannes Driedo, cujus duplex adfert contra nos testimonium: unum est ex tract: 4. de captivit: & redempt: generis humani cap. 2. parte 7. *Quamquam in timore servili ipsa servilitas seu peccandi voluntas, quæ intus latet, non sit Spiritus Sancti opus, utique tamen timor divini judicii, cum sit opus fidei, procedit ex dono Dei. Proinde verum quidem est, apud eos, qui solo servili metu solius pœnæ obediunt præceptis, abstinentes ab illicitis, neque esse curam pudoris, neque honestatis, virtutis & castitatis amorem, eosque timore reprimi, non emendari, attamen ipsi neque tantum nocent &c.*

268. Resp. illic agi de timore serviliter servili, seu qui habet annexum hunc actum; vellem peccare si non esset infernus; magis timeo infernum quàm peccatum &c. Patet id manifestè ex Driedone, qui ante verba relata præmittit: *Quisquis gehennæ aut judicii timore incipit peccata odio habere, suasque frænare concupiscentias &c. non peccat in eo quod sic timet....Tamen aliunde peccabit, si simul adsit in actu qui piam motus pravus voluntatis vel desiderantis non esse legem prohibentem & non esse Deum punientem; vel tristitia, quòd sibi non liceat impunè peccare, vel magis odio habentis pœnam, quàm culpam.* Tum paulò post subjungit verba nobis objecta.

Neque dici potest quòd semper censeat adesse talem aliquam voluntatem pravam, aliàs enim non diceret; *aliunde tamen peccabit, si simul adsit* &c.

269. Porro quòd Driedo senserit metum gehennæ cohibere etiam à peccatis internis, & à consensu in similia prava desideria indeliberatè exorta, patet ex iis quæ tradit eodem loco; cujus testimonium, licet prolixius sit, non pigebit me hìc describere, nec lectorem legere; quia in illo rationem adfert cur timor gehennæ cohibeat à peccatis etiam internis; timor verò supplicii ab homine infligendi à solis externis, & multa quæ supra diximus suo comprobat calculo, simul explicans varia S. Augustini testimonia. Ita loquitur pag. 107.

Verùm non est silentio prætereundum, quòd, etsi in præparandis ad salutarem gratiam hominum cordibus utcumque utilis sit timor, & non solummodo timor gehennæ ignis comminati à Deo justo judice, sed & timor pœnæ constitutæ secundùm humanas leges & potestates, cum uterque cohibeat voluntatem, ne det consensum in executionem nefarii operis; attamen magnum est discrimen inter istum et illum timorem. Abstinet latro à furto, & ab adulterio, ne suspendatur in

tur in patibulo; abstinet & ab illis Christianus ne puniatur in inferno; sed latro solùm timens leges hominum, facit latrocinium, dum sperat seipsum latere tribunalia sæcularium judicum: Christianus autem leges timens illitas, quem novit falli non posse, propter timorem divini tribunalis non modo cohibet membra ab exteriori opere, verùm & intra claustra cordium coërcet malas cupiditates, sciens Deum omnium occultorum esse conscium...... Verùm quidem est in utroque timente vivere quandam peccandi voluntatem, quemadmodum & demonstravit venerab. Augustinus, sed modis longe diversis. Nam adultera propter metum pœnæ temporalis comminatæ ab humana potestate, ad tempus sua membra comprimens ab executione, plerumque exspectat locorum & temporum occasiones, quibus possit latêre, ad satisfaciendum suæ, quæ intus latet, peccandi voluntati: Christianus autem commotus & tactus spiritu timoris divini judicii, non sic exspectat ullas exequendi nefarii operis opportunitates, sed certa fide jam tenens Deum omnium rerum conscium, etiam internum suum reprimit consensum ex Spiritu Sancto, nondum quidem sanctificante, sed conturbante spiritum malignum, qui latenter in eo adhuc vivit, etiam plerumque intus operans suos nequitiæ motus. Proinde, ut docet Venerab. Augustinus, latenter in eo vivit quædam peccandi voluntas, propterea quòd nondum est justitiæ amicus...... proinde talis adhuc carnalis vellet sibi fore licitum frui creatura, suæque libidini satisfacere...... verùm iste voluntatis motus, quo carnalis homo vellet hæc omnia, non est opus spiritus timoris Domini, sed diaboli, qui semper in cordibus hominum sua conatur zizania superseminare inter divini spiritus semina. Quemadmodum enim in eo qui est jam templum Spiritus Sancti, plerumque spiritus nequitiæ suos seminat motus pravitatis ad destruendum opus Dei; ita & in eo qui adhuc est templum diaboli, plerumque Spiritus Sanctus suos præmittit præcursores, quibus destruit opus diaboli. Nemo igitur arbitretur esse absurdum, timorem gehennæ ignis esse opus Spiritus Sancti &c.

270. Deinde objicit sibi, quòd juxta Augustinum, qui solo metu à malo coërcetur, odit præceptum, & justitiam punientem, velletque Deum non esse criminum vindicem, mallet licere, quod est illicitum, atque hac ratione in

ne in eo adhuc vivit voluntas peccandi; cui objectioni respondet pag. 108. *Is qui solo metu gehennæ coërcet se ab opere malo, præceptum quidem odit secundum amorem quemdam habitualem seu radicem intus latentem, nondum renovatus spiritu amoris justitiæ, sed non semper est odium in actu, non semper actu concupiscit destructam esse justitiam punientem.* Et hoc est alterum testimonium quod contra nos adfert P. Farvacques. Pergit Driedo;

Proinde subjectus servili timori, quodammodo vult peccare, & quodammodo non vult peccare. Vult quidem, quia vivit in eo latens quædam peccandi voluntas, non actualis quidem semper in actu peccandi, sed habitualis, secundùm quam nondum amicus justitiæ, semper præparatus manet peccare, si esset impunitas. Non vult autem peccare quia jam concussus timore divini judicii, sciens Deum esse cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, incipit exire de sæculo. Et idcirco non quemadmodum fur vel adultera exspectat opportunitatem loci & temporis ad perpetrandum nefarium opus, sed intra claustra cogitationis coërcere & comprimere studet, ne pravis cupiditatibus præstet consensum.

Ex his patet sententiam Driedonis esse

271. Primò Quòd timor gehennæ cohibeat etiam à peccatis internis.

2. Rationem, cur id potius faciat timor gehennæ, quàm timor pœnæ ab homine imminentis, esse, quia Deo æquè nota sunt peccata interna quàm alia; adeoque ob illa æquè incurretur pœna gehennæ.

3. Quòd non semper adsit actu aliquis pravus motus voluntatis etiam inefficax in oppositum, dum quis ex metu à peccato abstinet.

4. Quòd aliquando adsit talis motus pravus à diabolo immissus, sicut etiam immittit justis; sed quòd ex metu gehennæ voluntas non præstet illi consensum, & per consequens, ut docet Tridentinum, non peccet.

5 Quòd actus inefficax in oppositum etiam indeliberatus non oriatur ex timore gehennæ.

6. Quòd maneat habitualis voluntas peccandi, seu radix intus latens, quæ prorumperet in actum, si proposita ratione objecti delectabilis, abesset metus gehennæ, nec succederet aliud motivum, ob quod reprimeretur.

7. Quòd ille timor gehennæ sit à Spiritu Sancto, adeoque supernaturalis.

Quæ omnia planè adversantur illis contra quos disputamus, & conformia sunt iis, quæ supra diximus cap. 4. 5. &c.

§. 7.

§. 7.

De Lensæo, Molano, Stapletono.

272. EX Joanne Lensæo contra nos adfertur, quod habet libro 6. de Christiana libertate cap. 4. pag 264. in titulo capitis. *Qui solo metu, non amore justitiæ, quod præceptum est, faciunt, hos nondum esse liberos à servitute peccati.* Et eodem capite pag. 269. asserit id non tantùm esse verum de timore, qui dicitur humanus, *verùm etiam de illo, quo propter pœnam metuitur Deus.*

Resp. Lensæum illic agere de iis, qui solam speciem bonæ conversationis hominum oculis objiciunt, idque ut vel assequantur terrena præmia vel pœnas hîc evitent: ut videre est tùm ex toto contextu, tum præcipuè ex pag. 268 ubi etiam addit: *sub gratia vero positi, quos vivificat spiritus, ex fide ista faciunt, quæ per charitatem operatur, in spe bonorum, non carnalium, sed spiritualium; non terrenorum, sed cælestium; non temporalium, sed æternorum. ..... Hi pertinent ad testamentum novum, filii promissionis &c.* Unde quod dicitur pag. 269. intelligi potest de timore pœnæ temporalis. Deinde illo loco tantùm dicit, illum timorem, quo propter pœnam metuitur Deus, esse servorum. Addit insuper hunc timorem excludi à charitate, cum hæc fuerit perfecta, adeoque nihil huc facit charitas adversariorum solummodo imperfecta. Denique loquitur de amore justitiæ virtutis &c. quod gratis omnino intellexeris de amore amicitię erga Deum.

273. Videamus jam quid de timore judicii & gehennę, ejusque contra peccatum efficacia dicat Lensæus: lib. 7. cap. 14. pag. 362. ita loquitur:

Paravit cælum; sed paravit & tartarum...... Cujus consideratione judicii sæpe perhorrescere, si ad justitiam & quæ nondum sit, comparandam; & quæ jam parata sit, frustra diabolo tentante, retinendam, nihil conduceret: non hunc nobis divina Scriptura, toties ejus utilitate propositâ, commendaret. Nolite, ait Dominus, timere eos qui occidunt corpus, sed eum timete &c. Ille quippe hominum timor in corpora sævientium, sæpenumero ad peccatum impellit. Hic vero divinæ severitatis, & peccatum expellit, & cum peccato diabolum: cum sanctissimæ Dei voluntati cogit parere, ut æterna, quæ malis irrogaturus est, supplicia fugiantur.... An fortè ut severus delictorum vindex timeri non vult Deus, quemadmodum ait quidam; sed tantummodo ut benignus pater? Atqui timeri vult, ut is qui corpus & animam mittat

in gehennam; quod non ut benignus pater, sed ut severus procul dubio justusque iudex facit.... est igitur hic metus necessarius, non ad ingrediendam solùm justitiæ viam, sed plerisque etiam ad retinendam. Quorum bona quidem illa, sed tamen infirma voluntas iudiciorum Dei contemplatione excitanda & firmanda est; ne peccati inescata voluptate, citò ab itinere salutari deflectat, & ab hoste semper insidiante captivam se & illaqueatam abduci patiatur. Hunc proinde Cyprianus timorem innocentiæ custodem vocat....Non immeritò proinde accipi etiam de hoc timore potest, quod à sapiente dictum est: Nisi in timore Dei constanter tenueris te, citò subvertetur domus tua. Est enim & hic Dei timor basis quædam, unde imbecilla voluntas standi accipit firmitatem. Hinc ejusdem & illa semper animo volvenda sententia: Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Et cætera, quæ in eumdem sensum prosequitur.

Poteratne aliquis luculentius aut elegantius declarare vim timoris gehennæ ac energiam, qua præditus est, ut mentes humanas ab omni prorsus peccato immunes contineat? Poteratne magis evertere sensa eorum, qui negant timorem gehennæ repugnare peccato, & solam manum ac membra cohibere à nefario opere, non autem mentem à pravis perversisque cupiditatibus? Non dubito quin adversarii hunc in posterum agnituri sint fortissimum nostræ sententiæ propugnatorem ac defensorem.

274. Adfert Joannem Molanum Tract. 1. de pœnitentia cap. 7 num. 3. asserentem Contritionem à Lovaniensibus definiri: *dolorem de peccatis commissis propter Dei offensam &c.*

Verùm id pro nobis facit; nam ibidem asserit hanc Lovaniensium definitionem non discrepare ab hac Tridentini descriptione: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* In hac autem non importari amorem amicitiæ erga Deum, evidens est; ergo censet nec involvi talem amorem in dolore de peccato propter offensam Dei.

275. Alterum Molani testimonium opponit ex num. 31, *Saniores igitur Scholastici, cum asserunt virtutem Sacramenti Confessionis ex attrito contritum hominem facere, loquuntur de attritione, quæ adiunctum habet affectum, quo pœnitens incipiat diligere Deum tamquam justitiæ fontem.*

Resp. hæc ultima verba intelligi posse de desiderio placendi Deo, de quo locutus erat num. 30. ibidem: hoc autem habet qui atteritur ex timore gehennæ, in quantum proponit firmiter omnia Dei mandata servare: qui quidam amor Dei est juxta Cunerum Petri, Sylvium, aliosque: præsertim

cum num. 29. dixerit Molanus *Sunt tamen quidam, qui magis suppliciorum metu concutiantur, quàm Dei amore. Quorum solatio Tridentina synodus providisse videtur, ubi ait: Illam verò contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur* &c. quæ illo loco prosequitur Tridentinum.

276. Postremus est Thomas Stapletonus, qui Tom. 2. de justif. prolegomeno 1. in lib. 5. ita habet. *Lutherus quidem negavit odium peccati esse vel necessarium vel utile, & optimam pœnitentiam vult esse novam vitam. Melanchthon contra in timore servili, & in detestatione peccati, ponit plenam & perfectam contritionem, quod non minùs est falsum. Vera enim contritio odium quidem peccati habet, sed propter Deum offensum, non propter terrores pœnarum, de qua Apostolus dixit. Tristitia, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

Resp. Stapletonum rejicere sententiam Melanchthonis, quòd in timore servili & detestatione peccati ponat plenam & perfectam contritionem, adeoque sine proposito novæ vitæ; cum pœnitentiam Melanchthonis opponat pœnitentiæ à Luthero assertæ, quæ erat sola inchoatio novæ vitæ. Nostra autem attritio complectitur & detestationem peccati præteriti, & propositum vitæ novæ, adeoque hic nihil contra nos. Quod autem ait, *veram contritionem esse odium propter Deum offensum, & non propter terrores pœnarum:* agit de contritione perfecta seu sufficiente extra Sacramentum.

277. Porro quòd illo loco agat de sola contritione perfecta & per se justificante: facilè, si opus esset, colligeretur ex præcedentibus, verùm tali collectione opus non est, cum ipse Stapletonus manifestè id exprimat, dum post verba in objectione allata subjicit: *Sed de hoc protestantium errore, in controversia de pœnitentia ejusque partibus, rectius disputandi locus erit. Hoc loco bene est advertendum, quòd odium peccati disponens ad justitiam, multum differt à contritione; quæ est prima pœnitentiæ pars.* Agit ergo de odio peccati, quod plurimum differt à contritione, prout hæc ponitur prima pars Sacramenti Pœnitentiæ. Et hinc etiam evanescit vis alterius testimonii, quod ex eodem auctore profert P. Farvacques. Imo hic Auctor nostram tenet sententiam ut ostendemus §. sequenti.

§. 8.

Auctores Lovaniensis Universitatis, qui docuerunt sufficere Attritionem ex metu gehennæ.

278. PRimus sit Ruardus Tapperus, qui, cum ad Artic. 4. Attritionem cum communi definivisset displicentiam peccati ex timore pœnarum.. ita loquitur pag. 111. columna 1. in initio: *Quòd autem attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est tamen certum atque indubitatum.*

2. Eâdem columnâ: *Attritio verò ex timore pœnarum supernaturalium idonea dispositio est ad Sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ gratiam percipiendam: ut cum quis detestatur omnia peccata mortalia, & propterea confitetur, ne per peccatum excludatur à gloria, vel ne in supplicium ignis sempiterni conjiciatur: qui etiamsi cognoscat se non habere Contritionem, sed tantùm hanc Attritionem, probabilis est doctorum sententia, quòd licitè accedit ad Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta suscipienda.* Id autem ibi fusè probat ex D. Thoma, ex Augustino, & ratione, & ex facto Christi, qui talem pœnitentiam per se suosque prædicavit.

279. 3. Pag. 112. col. 1. cum dixisset, non omnem pœnitentiam ad salutem perducere, subdit: *Ille namque solummodo pœnitentiæ timor ad salutem perducit, cum idcirco quis pœnitentiam agit, quia judicium universale, & cælorum regnum futurum esse credit, à quo excludendi sunt & in gehennam mittendi peccatores. Cum ergo quis idcirco pœnitentiam agit, ut mala æterna evadat, & bona consequatur æterna, fidelis judicatur & per fidem agendo pœnitentiam salvatur.*

280. 4. Pag. 113. col. 1. Cum probasset Sacerdotes non tantùm declarare pœnitentes esse solutos, sed verè à peccatis solvere: hinc infert: *Non igitur requiritur amor Dei super omnia & tamquam finis ultimi, ut dispositio necessaria in Sacramento Baptismi, nec etiam Pœnitentiæ: sed talis sufficit, secundùm quem Deus sit causa tristitiæ vel pœnitentiæ..... Affectus autem contritionis, quem Deus despicere non potest, est odium peccati super omnia odibilia propter Deum tamquam finem ultimum, in quem omnia referuntur, amatum.*

281. Ecce juxta Tapperum actus, quo quis odit peccatum super omnia odibilia propter Deum tamquam finem ultimum, in quem omnia referuntur, amatum, sivè ob Dei amorem ibi sistendo: hic, inquam, actus est contritio; nec Deus illum despicere potest, seu ille infallibiliter justificat. In Sacramento autem non requiritur amor Dei super omnia, & tamquam finis ultimi, sed sufficit Deum esse causam tristitiæ. Ergo juxta Tapperum non requiritur in Sacramento actus charitatis. Videat jam Auctor Quodlibeticæ, quomodo his testimoniis quadret hæc responsio: *etiam dixit David, non est Deus.*

282. Objicit 1. Tapperus requirit, ut cum metu adsit alia affectus mutatio, & homo moveatur ad altiorem considerationem, mentisque ad Deum etiam affectionem; cujus rationem adfert, quia nec homo placaretur, cum, qui læsit, nullam ipsius in dolore rationem haberet.

Resp. per hæc omnia non importari amorem benevolentiæ erga Deum, cum ipsemet Tapperus, postquam dixit quæ objiciuntur, dicat hoc esse proprium contritioni, quæ infallibiliter justificat, talem autem amorem non requiri cum Sacramento, seu in attritione de qua ibi loquitur. Unde patet, dum dicitur habendam rationem Dei, debere esse affectum erga Deum, debere Deum respici, haberi rationem offensæ Dei, nihil aliud intelligi, quàm quòd

debeat peccator dolere, quod Deum offenderit potentem punire & puniturum, quòd proponat servare mandata, & satisfacere &c. prout diximus num. 13. 196. & idem patet ex exemplo in humanis quod adfert, in quo ad reconciliationem non requiri amorem amicitiæ certum est.

283. Objicit 2. Tapperus pag. 112. cùm retulisset verba in secundo testimonio supra relata, & alias sententias, subjungit: *Consolatoria quidem hæc sunt, sed incerta, & Scripturis ac Patrum sententiis non satis consentanea, si intelligant nullam Dei aut offensæ ejus habendam esse rationem.*

Resp. post relata verba secundi testimonii, & fusam satis additam probationem, refert alios pœnitentiæ modos 1. ubi causa pœnitentiam agendi est amor præsentis sæculi: qualem egit Achab. 2. dolorem ex amore Dei naturali; & hanc dicit esse probabilem multorum opinionem, subditque: *intelligunt autem, ut credo, si cum Fide, spe veniæ & proposito Deo serviendi sit conjunctus, sine quibus nulli contingit peccatorum remissio.* 3. quando quis odit peccatum quia turpe est, & contra rationem. 4. quòd aliqui neoterici dicant, sufficere quemcumque dolorem, si homo putet se præstitisse, quod erat necessarium. Et tunc addit hæc esse consolatoria & incerta, si intelligant, nullam Dei aut offensæ habendam rationem; quod intelligendum videtur juxta limitationem paulò ante datam, si non adsit spes veniæ & propositum cavendi peccata. Unde ad has posteriores sententias illa verba referri debent; non autem ad primam, quam fusè probat ex auctoritate & ratione; præsertim cum rursus duabus columnis post asserat ea, quę retulimus supra in quarto testimonio ex Tappero num. 180.

284. Secundus est Cunerus Petri, qui asserit sæpe fieri ob defectum ministri, ut volens baptizari, vel Pœnitentiæ Sacramentum suscipere, cum magno aliorum luctu in æternum pereat, quia tantùm habebat attritionem ex metu gehennæ. Sententiam ejus & verba retulimus supra à num. 246.

285. Tertius est Thomas Stapletonus: hic Tom. 2. prolegomeno 1. in librum 5. de justificatione pag. 120. ante medium, cum quæstionem de Sacramento Pœnitentiæ, & ejus partibus rejecisset in alium locum, advertendum tamen hîc censet, quòd odium peccati, quod disponit ad justificationem extra Sacramentum, multùm differat ab ea contritione, quæ est prima pars Sacramenti Pœnitentiæ, subjungitque: *neque enim tam immensum odium aut dolor peccati, quale ibi requiritur, sed odium aliquod generale & qualecumque, quam attritionem scholastici vocant.* Dolor autem ex metu gehennæ est fuitque juxta omnes vocata attritio, ut patet ex cap. 2. ergo talis dolor juxta illum sufficit.

286. Quartus est Mercerus Suppl. q. 1. articulo tertio.

287. Eamdem sententiam non obscurè indicant Guilielmus Lindanus, & Jacobus Latomus supra num. 255. & 262. favet etiam Molanus num. 275.

288. Quæ

288. Quæro jam ab adversariis quosnam ex antiqua Facultate habeant, qui teneant illorum sententiam? Credo vix reperiendos paucos. Porro ut aliquos pro se meritò adducant, necesse est ostendant, illos docere, quòd nullus dolor cum Sacramento sufficiat, nisi sit ex amore amicitiæ erga Deum, seu propter se dilectum; deinde dari amorem amicitiæ aliquem, qui sine Sacramento non justificet. Denique nec hoc sufficiet, ut inde colligant, quòd sua sententia fuerit sententia Facultatis antiquæ, sed simul debebunt ostendere, quòd non nitantur falso aliquo principio; si enim nitantur illo principio, quòd timor sit malus; illis opponam Tapperum, Driedonem, Stapletonum & plerosque hujus Facultatis Doctores. Similiter si pro ratione afferant quòd timor non possit excludere voluntatem peccandi: Rursus opponam clarissima in oppositum testimonia Driedonis, Lensæi & plurium aliorum.

Profert contra nos P. Farvacques Auctores viginti unum, & judicium Facultatis: ex his pro nostra sententia stant Tapperus, Cunerus Petri, Lindanus, Latomus, Driedo, Lensæus, Stapletonus, & favet Molanus. Tam adversaris, quàm nobis repugnant Adrianus, Sonnius, Estius, Briaert. Reliqui verò, si unicum ferè Jacobum Baium excipias, nobis minimè adversantur. Dissipata est ergo nubes testium contra nos allatorum.

CAPUT XII.

Quodnam sit discrimen Attritionem inter & Contritionem.

289. Sumimus hîc Contritionem non genericè, & prout etiam Attritionem sub se complectitur, sed pro specie Attritioni oppositâ, & quæ independenter ab actuali susceptione Sacramenti justificat. De Contritione hoc modo sumptâ unicum ad rem nostram hîc inquirimus; quomodo nimirum differat ab Attritione. Neque enim volumus hoc loco prosequi plurima alia, quæ Contritionem concernunt, cum ad institutum nostrum minimè necessaria sint, & esse possint alterius scriptionis justum argumentum.

290. Qui nobiscum sentiunt in quæstione de Attritione, unanimes quoque inter se sunt in dicto discrimine assignando: statuunt enim, quod omnis ille dolor ac detestatio peccatorum, quæ procedit ex motivo amoris Dei propter se dilecti super omnia, seu excludentis voluntatem peccandi (dari enim potest amor Dei propter se, qui non sit super omnia, neque voluntatem peccandi excludat) sit vera contritio, quæ sine actuali Sacramento pec-

catorem justificet: Attritio verò fit detestatio peccati ex motivo aliquo inferiori, voluntatem peccandi excludente. Censent insuper Contritionem infallibili lege per se & sine Sacramento justificare. Quæ tota doctrina quam sit conformis Sacro Tridentino Concilio, fiet manifestum consideranti sess. 14. cap. 4. quo loco Synodus postquam definivisset, Contritionem generatim sumptam esse dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, nullâ factâ mentione motivi: subjungit deinde, hanc Contritionem esse aliquando charitate perfectam, seu charitate tamquam motivo præ cæteris nobilissimo perfici, eamque generaliter, nullâ additâ limitatione aut restrictione, pronuntiat hominem Deo reconciliare, priusquam Sacramentum actu suscipiatur.

291. Hunc proinde Tridentini locum non rectè intellexit Estius in 4. distinct. 17. §. 2. dum vult mentem Synodi esse, Contritionem charitate perfectam, quandoque dumtaxat, justificare peccatorem ante actualem Sacramenti susceptionem: unde censet non semper, imò nec ordinariè, sed raro admodum contingere, ut habens Contritionem, qualem dicto loco describit Tridentinum, justificationem statim consequatur; hanc enim regulariter tunc primùm obtineri, quando postea Sacramentum actu suscipitur. Hæc Tridentini explicatio ab omnibus passim rejicitur, & meritò; Non enim dixit Synodus: contingit Contritionem esse charitate perfectam, & tunc aliquando hominem Deo reconciliare ante susceptum Sacramentum: sed ait, contingere aliquando Contritionem esse charitate perfectam; quia nempe Contritio genericè sumpta, quam definierat esse dolorem de peccatis, cum proposito non peccandi de cætero, non semper concipitur ex motivo illo perfecto amoris Dei super omnia, sed sæpe, imò communiter concipitur ex motivo metus gehennæ, vel turpitudinis peccati. Postquam autem dixit, Contritionem aliquando amore perfici, absolutè & simpliciter addit, eam reconciliare hominem Deo, antequam hoc Sacramentum actu suscipiatur; adeoque affirmat, semper sic fieri justificationem, quoties peccator elicit actum istic descriptum.

Et ex hoc loco Tridentini sincerè intellecto putant omnes fideles, Contritionem, quæ oritur ex vera Dei super omnia dilectione, semper adferre remissionem præsentem peccatorum: Concilium enim pro eodem reputat, Contritionem esse charitate seu dilectione Dei perfectam, & reconciliare, licet neutrum sit de ratione omnis Contritionis, prout abstrahit à perfecta & imperfecta: sicut etiam discurrit Sylvius in editione quarta. Sic qui diceret, rationem genericam animalis quandoque contrahi per rugibilitatem, esseque Leonem, nullo modo diceret, animal sic contractum non semper, sed raro constituere Leonem.

Æ contra illi, qui aliam non agnoscunt Attritionem, nisi eam, quæ pro motivo

motivo habet Deum propter ſe dilectum; mirum eſt quantopere laborent, quàmque inter ſe diviſi ſint in aſſignando actu Contritionis per ſe juſtificante.

292. Eximius P. Farvacques in ſua Quodlibetica ſ. 5, ſcrupuli pag. 55, hunc præfigit titulum: *Expendatur, quæ ſit Contritionem inter & Attritionem differentia.* Et interim contentus varias de hoc diſcrimine ſententias protuliſſe, ſuam non edicit, ſed manum tollit de tabula. Neque id miror: nam relictâ communi Doctorum ſemitâ, à Tridentino clarè monſtratâ, non eſt ubi quis pedem figat, cum nulla ſuperſit ſolida ratio, cur diſcrimen unius actus ab alio petatur potius v. g. ab intenſione, quàm ab extenſione ſeu duratione, aut alia re quacumque. Imò cur non æquè cum Sacramento requiratur certa & determinata doloris intenſio, duratio &c? Quod aſſerere, quid aliud eſſet; quàm univerſam pœnitentiam reddere planè incertam, & infinitis anxietatibus obnoxiam?

293. Atque hoc ſolum argumentum ſufficere ferè poſſet, ad rejiciendam Adverſariorum ſententiam. Quis enim ſibi perſuadeat, in re obvia, & fidelibus ad ſalutem perneceſſaria, etiam poſtquam ſuper illa congregatum Concilium Tridentinum voluit claram & perſpicuam doctrinam tradere, adeo obſcurum in Eccleſia hactenus manſiſſe, quid differant inter ſe actus ad juſtificationem peccatoris requiſiti, tam intra, quàm extra Sacramentum, ut de illo dubitare viri etiam doctiſſimi videantur? Quænam, quæſo, ſuppetet methodus Parochis, qua hominibus rudibus, aut parum doctis exponant, qua ratione ſeſe ad reconciliationem cum Deo diſponant, tum in Sacramento, tum etiam in caſu, quando hoc ſuſcipere neceſſitas prohibet.

294. Alii in hac Univerſitate, ut ex quorumdam relatione intellexi, hoc ſtatuunt diſcrimen, quòd Attritio ſit dolor ac deteſtatio peccatorum ex tali amore Dei, qui ſufficiat, ut vi illius homo ſuperet eas tentationes, quæ illi in his circumſtantiis ſtatus, loci, temporis &c. regulariter ſolent occurrere; non autem ut quaſcumque alias, quæ in diverſis circumſtantiis occurrerent; hoc enim ſi poſſit, dicunt fore veram contritionem. Hi ergo volunt requiri & ſufficere amorem, qui non excludat poſitivè omnem voluntatem peccandi: non dubito autem, quin iidem ſubſidium petituri ſint ab alio motivo, timoris vel ſpei, ut alterutro horum juncto voluntas peccandi plenè excludatur.

Denique Eximius P. Lupus aggreſſus aſſignare diſcrimen inter duos hos actus, ea adfert, quæ nullus, quod ſciam, ante ipſum ſcholaſticus docuit, nec, ut arbitror, ullus poſt ipſum eſt probaturus. Vult autem ad juſtificationem extra Sacramentum neceſſario requiri amorem Dei ſuper omnia perfectum: quis autem ſit amor perfectus, hac ratione exponit.

295. Primò vult, ut Contritio, per ſe juſtificans ſit efficax non tantùm

affectivè

affectivè, sed etiam effectivè: adeo ut detestatio peccatorum & propositum ea cavendi in posterum, licet eliciatur ex puro & intenso Dei amore, non sit tamen vera contritio, si tantùm sit efficax affectivè, seu quoad affectum, qui nunc adest, nisi simul sit efficax effectivè, seu quoad effectum, id est sic ut posthac cum effectu peccata omnia mortalia vitet, adeoque si postea rursus labatur in mortale, jam antecedenter non habuerit veram Contritionem. Hinc, quia D. Petrus, ad vocem ancillæ Christum negando, graviter peccavit, infert non habuisse antea amorem perfectum seu Contritionem per se justificantem, sed illum solummodò amorem, vi cujus accedente insuper Baptismi Sacramento fuerat antea justificatus. Addit reliquos omnes Apostolos, usque ad acceptum in Pentecoste Spiritum S. eidem infirmitati fuisse subjectos; adeoque, antequam confirmarentur in gratia, non habuisse amorem Dei perfectum, seu talem, qui ex stata Dei lege requiritur ad remissionem peccati, absque actuali Sacramenti susceptione. Hæc videri possunt in Dissertatione Dogmatica cap. 5. & 6.

296. Secundò ad justificationem sine Sacramento obtinendam, asserit non sufficere charitatem Dei robustam, id est, ut explicat pag. 25. talem vi cujus suaves mundi libidines, & insuper tormentorum quorumvis, atque ipsius etiam mortis terrores, & violentias superare quis possit. Hanc tamen charitatem fatetur sufficere cum Sacramento.

297. Tertiò pag. 33. & seq. producit catechumenos divina charitate flagrantes, amarissima cordis contritione donatos, sagittatos divina charitate, insigniter contritos &c. ita ut ex illo amoris divini æstu totâ quadragesimâ glaciatum solum nudis pedibus calcarent, dilectas antea suavitates cum gaudio dimitterent, valedicerent sæculo, renuntiarent possessionibus, easque in pauperes distribuerent, certarent usque ad mortem pro Christo &c. Hos tamen omnes asserit, non fuisse vi tantæ charitatis justificatos, sed tunc primùm eis remissa fuisse peccata, quando ad Baptismi lavacrum pervenerunt. Hinc quorumdam agonizantium, absque actuali Baptismo, aut Pœnitentiæ Sacramento, justificationem asserit esse *HETEROCLYTAM & IRREGULAREM*. Additque *hanc esse avitam & unanimem omnium sub cælo Ecclesiarum doctrinam*. Quænam illæ Ecclesiæ sint, libenter fateor me ignorare; ignoravit etiam, ut videtur, is, qui in suo Centiloquio Sacramentali asseruit, doctrinam jam relatam longissimè abesse à doctrina Apostolorum, & Patrum, ac totius Ecclesiæ sensu.

298. Quartò denique hinc infert pag. 36. quòd charitas, quæ sine actuali Sacramento Catechumenum, aut Pœnitentem infallibili lege justificat, sit sola charitas perfecta: perfecta autem charitas juxta eumdem Auctorem est illa, quæ vivit patienter, delectabiliter moritur, & omnem rerum creatarum affixivum amorem in nobis extinguit.

D upli-

Duplicis enim generis amores erga res creatas distinguit, nempe volaticos & affixivos: per volaticos intelligit illos, quibus sic afficimur objectis creatis, ut tamen ea sine ullo doloris sensu amittamus, licet quandoque ea amando leviter delinquamus, seu, ut ipse explicat, licet aliquando adsint assensus levissimi ingeneratæ nobis concupiscentiæ. Hos amores volaticos negat obstare perfectæ charitati, aut ab hac expelli.

299. Amorem verò affixivum vocat illum, quo rebus temporalibus possessis vel speratis cor apponimus, quo eas menti nostræ agglutinamus, & quasi membra facimus; ideoque perdere aut non adipisci non possumus sine dolore; ita ut ejusmodi rerum amissio sit quasi animæ ex absciso membro vulnus, adeoque illa statim gemitus aut lacrymas fundit, atque indiget medicina officiosæ consolationis. Ita loquitur P. Lupus pag. 26. ac subjungit: *Hujusmodi amores omnes perfectæ charitati repugnare, & ab ipsa, ut perfecta sit, debere absumi, non solus Augustinus docet, aut Apostolus Paulus, sed res ipsa clamat: ea namque charitas debet delectabiliter mori, ideoque non solum aurum, argentum, uxorem, filios, possessiones, sed & propriam vitam cum gaudio & desiderio deponere, quod fieri non possit, nisi extinctus sit omnis amor affixivus.* Afferit tamen hos amores affixivos (cum nimirum non sint, nisi ut summum venialiter mali) nullo modo obesse illi Contritioni, quæ unà cum Sacramento justificet.

300. Sensus igitur hujus Auctoris est, quòd peccator quomodocumque demum ex amore Dei & quantumcumque de peccatis doleat, non possit tamen sine actualis Sacramenti consortio justificari, si ergà rem quampiam creatam sic afficiatur, ut illam cum aliquo doloris sensu amitteret, vel non consequeretur. Hinc si conjux morti vicinus optet, vitam sibi à Deo prolongari, quò res familiæ suæ componat, quò uxori & liberis subveniat, quibus videt alioqui defore victui necessaria &c. & nihilominus mortem juxta Dei beneplacitum paratus sit acceptare, cum aliquo tamen dolore & gemitu, non poterit talis elicere Contritionem, quæ impetrandæ justificationi per se sufficiens sit: ac proinde si sit in mortali, ac desit copia Confessarii, actum est de æterna illius salute. Quod idem locum habebit in casibus innumeris; si aliquo quispiam affectu feratur in divitias, officium, honorem, famam, propinquos &c. qui affectus non sit ullo modo mortaliter malus, talis tamen ratione cujus doleret aut gemeret, si omnibus fortunis spoliaretur, si officio aut honore sine sua culpa privaretur, si famam amitteret, si apud omnes gravissimè infamaretur &c. Si, inquam, ad aliquid horum sic afficiatur, ut ad ejus amissionem, quasi ad vulnus corporis, doleret, gemitus aut lacrymas funderet, atque ita indigeret medicinâ officiosæ consolationis (quod contingere potest, licet ille affectus ne quidem sit venialiter malus) eo ipso incapax est, qui veræ Contritionis actum eliciat. Porrò cum satis intelligat hic Autor, talem actum passim in hominibus esse quodammodo impossibilem,

lem, fatetur Davidem, Magdalenam, aliosque non videri habuisse actum veræ Contritionis, sed ex speciali ac extraordinario Dei favore sine Contritione veniam peccatorum impetrasse, spem aliquam faciens fore, ut etiam nunc ex iis, qui in articulo mortis non habent copiam Sacramenti, aliqui quandoque cum sola attritione ejusdem favoris participes fiant.

Quæ omnia, licet facillimum id foret, quia tamen ad propositum nobis scopum non facit, hic non refuto: quamquam, qui hanc illius Auctoris sententiam clarè tantummodo proposuerit, videri possit eam sufficienter refutasse. Satis sit ostendisse, quod desertâ communissimâ Auctorum, fidelium, ac ipsius Tridentini de Attritione doctrinâ, difficillimum sit, ne dicam impossibile, statuere, quid sit Contritio per se justificans; & qui id tentavit, eam Contritionem finxerit, de qua in necessitatis articulo eliciendâ potius desperent passim homines, quam ad eam nitantur.

Dum hæc postrema imprimerentur, incidi in Theses hic in Hallis propugnatas 12. Februarii 1667. Præside Eximio D. *Gerardo van Vlerm*: ubi inter alia hæc habentur:

Cap 3. Isaiæ v.12. *POPULE MEUS, QUI TE BEATUM DICUNT, IPSI TE DECIPIUNT. Sic te hodie decipiunt qui te beatum & justificatum dicunt ex solo metu pœnarum in Sacramento pœnitentiæ.*

Hoc aut similibus S. Scripturæ testimoniis, licet quandoque utantur aliqui contra hæreticos, vel sententias manifestè erroneas sive hæreticas, vel ut tales ab Ecclesia, aut Supremo ejus in terris Capite damnatas: illis tamen uti contra verissimam, & omnium passim Catholicorum unanimem sententiam, ejusque Auctores, quid est aliud, quàm verbis S. Scripturæ abuti ad injustam censuram?

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg.10.lin.9.motito, *lege*, motivo. Pag.15.lin.17.nullum, *l.* nullam, Pag. 16.lin.6.prodinde.... eas, *l.* proinde.....eam, ibidem lin. 28. transgrederentur, *l.* transgrederetur, Pag.29.lin.17.perfertæ, *l.* perfectæ, Pag.30.lin. 11. noscitur *l.* nascitur, Pag. 31. lin.34. etiam *l.* & jam, Pag. 54. lin. 24. fateamur *l.* fatemur.

pag.92.nu.218. lin.3.à fine sic lege: Resp.quando *per* conjungitur alicui, quod potest esse motivum, passim usurpari pro *propter*. Quamquā, quia Trid. ibi agit de actu timoris (utpote quē definit non esse peccatū) incongruè dixisset *propter*: sensus ergo est, abstineri à peccatis per actū timoris, seu qui pro motivo habet pœnas, idq; sine actu aut motivo ulteriori. Sic autē rectè intelligi Trid. non negabit P. Farvacques, nisi fateatur falsū esse, quod dicit pag. 45. *verbis D. Petri non continetur sola præparatio per motum timoris.* Idem patet ex sess. 14. Can. 5. &c. perge pag.93.lin.4.